

Handwritten text on the spine, likely in a historical script such as Gothic or Latin. The text is partially obscured by wear and the binding structure.

8
12

P. 6. 84

P. 3
the

78

Theol. P. VIII. 955
629

1.
2
3
g
F
5



Contenta hoc Volumine

1. Philologia sacra libri duo Salomonis Glassii, Jena Typis et sumptibus Tobiae Steinmanni 1623
2. Exercitationes Biblicae Johannis Tarnovii D. et Prof. Rostochii Editio secunda ab Autore recognita Rostochii Sumptum impendente Augustino Ferbero excusa. Anno 1623.
3. Disputationis Theologicae ex dicto Apostolico 1. Joh. 5. v. 7. Tres sunt qui testimonium dant in caelo etc. à Johanne Gerharde S. T. D. et P. in Academia Jenensi publicè instituta. Pars prior, Jena Typis Tobiae Steinmanni 1619
4. Disputationis Theologicae ex eodem dicto Praefide Johanne Gerharde D. et P. in Academia Jenensi publicè instituta. Pars posterior, Jena Typis Tobiae Steinmanni 1619
5. Dica Pontificis scripta, ob impietatis et falsi crimina in S. S. scripturas ab ipsis comissa, sub Praefidio Balthasari Meisneri Th. D. et Pr. Publicè habita, Witteburgae. Apud Christianum Than anno 1622.

Contenue des...
1. Philologie...
2. Exercitationes Biblicae...
3. Disputationes...
4. Disputationes...
5. Disputationes...
6. Disputationes...
7. Disputationes...
8. Disputationes...
9. Disputationes...
10. Disputationes...



D. O. M. A.
DISPUTATIONIS THEOLOGICÆ

Ex dicto Apostolico
1. Joh. 5. v. 7.

Tres sunt, qui testimonium
dant in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus sanctus,
& hi tres unum sunt:

JOHANNE GERHARDO
S. THEOLOGICÆ D. ET P.

in Academia Jenensi,

Publicè instituta

PARS PRIOR
CANONICAM DICTI AUTORITATEM
ASSERENS,

In qua Respondentis partes tuebitur

DAVID TANCKEN Wismariensis
Megapolitanus.

*Qui sub finem Disputationis X. Aprilis instituendæ Orationem
valedictoriam Hebræo-Latinam scopo ejusdem
accommodatam habebit.*

J E N Æ

Typis TOBIÆ STEINMANNI.

Anno M. DC. XIX.

3.



V I R I S

*Admodum Reverendis, Magnifico, Clarissimis &
Excellentissimis,*

DN. JOHANNI AFFELMANNO,
Academiae Rostochiensis h. t.

RECTORI,

DN. PAULO TARNOVIO, FACULTATIS
Theol. Seniori,

DN. EILHARDO LUBINO,
DN. JOHANNI QVISTORPIO,
DN. JOHANNI TARNOVIO,

SS. Theologiae Doctoribus celeberrimis, in illustri Rosarum
Academia Professoribus dignissimis,

Meis

Præceptoribus venerandis,

*Mecænatibus & Fautoribus æternim
colendis, suspiciendis.*

Disputationem hanc Theologicam
observantiæ ergo
inscribere volui

David Tancken WisMariensis



Thesis prima.



Cavis profectò ac terribilis est *Additio-*
comminatio, quam *filius tonitru* Marc. 3. v. *nis ac di-*
19. Johannes Evangelista & Apostolus (eum *minutio-*
enim Apocalypseos autorem esse, antiquif- *nis circa*
simos Ecclesiæ Doctores Justin. in dial. cum *Scripturæ*
Tryphone p. 240. edit. Commel. Irenæum, *Canonem*
lib. 5. adv. hæres. cap. 25. pag. 335. ed. Gallaf. Melitonem apud *prohibitio*
Eusebium lib. 4. Hist. Eccles. cap. 25. & alios complures secu-
ti atq; argumentis minimè dubiis permoti firmiter statuimus)
sub finem mysticarum suarum revelationum proponit Apoc.
22. vers. 18. *Contestor omni audienti verba Prophetiæ libri hujus.*
Si apposuerit quis ad hæc, apponet Deus super illum plagas scri-
ptas in libro isto v. 19. Et si quis diminuerit de verbis libri Prophe-
tia hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ, de civitate san-
cta & de his, quæ scripta sunt in libro isto. Quæ verba haud im-
meritò tanquam generalis quædam clausula totius Canonice
N. T. Scripturæ ac velut sigillum & signaculum Canonis gra-
vi consilio eidem additum accipiuntur, cum Apocalypsis ut
est ultimo loco inter Canonicos N. T. libros posita, ita quoq;
post omnes videatur scripta.

2. Quamvis enim quidam existiment, *Johannem scri-* *Tempus*
psisse Evangelium suum post Apocalypsin Bellarm. lib. 1. de verb. *scriptionis*
Dei cap. 20. §. *Deinde.* Baron. in annal. Ann. 97. n. 1 & Anno *Apocaly-*
99. n. 2. cum Epiph. hæres. 51. contra Alogos col. 359. referat, *ptica.*
Johannem post nonaginta annos vite sue, post reversionem à pat-
mo, quæ facta est sub Claudio Cesare, postquam multos annos in
Asia transegisset, Evangelium suum exposuisse, cumq; Euseb. lib.
3. Hist. Eccles. cap. 21. circa med. asserat, *Johannem qui toto*
Evangelici cursus tempore prædicatione sine literis usus fuerat,

tandem ad scribendum Evangelium fuisse adductum, denique cum Beda in præfat. comment. in Evang. Johann. tom. 5. col. 451. disertè testetur, Johannem scripsisse Evangelium suum in Asia, postquam in Pathmos insula Apocalypsin scripserat, id quod alii demonstrare conantur ex Apoc. 10. v. 11. Oportet te iterum prophetare gentibus, populis, linguis & Regibus multis: alii tamen ex veteribus referunt Evangelium non minùs quàm Apocalypsin in insula Pathmo à Johanne scriptum fuisse, Dorotheus in Synopsi p. 662. Johannes à Trajano (rectiùs Domitiano) in insulam Pathmon propter verbum Domini exilio damnatus est, ubi etiam sanctum Evangelium suum conscripsit, quod postea Ephesi per Gajum hospitem ac Diaconum suum edidit. Theophyl. in præfat. comm. in Joh. p. 144. Johannes Evangelium suum exul in Pathmo Insula conscripsit post triginta duos annos post assumtum in cælos Christum. Niceph. lib. 2. Hist. c. 42. col. 139. Relegatus à Domitiano Johannes in insulam pathmum 14. illius imperii anno Spiritu sancto plenum Evangelium ibi suum sublimem in modum intonuit, sacramq; & divinitus inspiratam Apocalypsin protulit. Hippolytus Episcopus & Martyr referente Cedreno in Nerva memorat, & Evangelium & Apocalypsin postquam à Nerva ex insula Pathmo Ephesum revocatus fuerat, à Johanne esse scripta. Quicquid sit de tempore scriptæ Apocalypseos, illud satis tutò affirmari potest, Johannem, ut reliquorum Evangelistarum scripta vidit & veritatis testimonium illis dedit, teste Euseb. libr. 3. Hist. Eccl. cap. 21. itaque quoq; reliquos N. T. Canonicos libros vidisse, approbasse, ordinasse, Ecclesiæ commendasse & hanc clausulam Apocrypticam præmonitionis ac præmunitionis loco illis omnibus addidisse, ne quis vel nova scripta vel partem aliquam scriptorum Canonis jam constituto adderet, neve quenquam librorum Canonicorum vel partem aliquam, Scripturæ Canonice adimeret. Tam longævam vitam (scribit B. noster Chemnicus in Harm. Evang. cap. 50. p. 278.) Filius Dei Johanni concessit, ut monstraret Ecclesiæ ad omnem posteritatem, quæ essent verè *γνήσια* Apostolorum scripta & ab illis Apostolicâ notatione sejungeret apocrypha & supposititia.

3. Præ-

3. Prævidit scilicet dilectus ille Christi discipulus, qui *Scopus il-
supereminens divinae scientiae celsitudinem divinitus illustrat à lius probi-
mente concepit, cum in sacrosancto mysticae Cænae convivio supra bitionis.
pectus redemptoris recubuit*, ut Petrus Damianus *semon. i. de
excell. Joh. Evang. loquitur, prævidit, inquam, quid in Eccle-
sia Christiana post beatum suum in cælos abitum erat futu-
rum, exurrecturos puta varii ac diversi generis hæreticos, qui
Canonicam N. T. Scripturam, à sanctis Dei viris, Spiritus S.
amanuensibus, divinâ inspiratione editam, adulterare & cor-
rumpere non dubitarent, tum quædam apocrypha & supposi-
ticia scripta vel scriptorum partes divino Canoni tanquam la-
ceros quosdam panniculos regiae purpuree assuendo, tum quæ-
dam Canonica & genuina scripta vel scriptorum partes ex Ca-
none divinitus constituto detrahendo, ac utroq; modo Cano-
nis integritatem & castitatem nefariè violando. Nec obscurâ
divinatione & conjecturâ opus, quò utrumq; Diabolicæ frau-
dis genus spectet, ad veritatis scilicet divinitus revelatæ op-
pressionem, & hæreticarum opinionum propagationem. Ideò
enim Canonice Scripturæ hæretici addunt quædam apocry-
pha, ut cum hæreticas suas opiniones divinæ Scripturæ suffra-
gio destitutas animadvertunt, aliquod robur & fulcimentum
in apocryphis illis quærant, ideò ex Canonica Scriptura li-
bros quosdam vel partes librorum avellunt, ut Orthodoxos
armis, quibus contra errores ipsorum salutariter pugnant,
exuant & quem nodum solvere non possunt, Alexandrino
gladio secant.*

4. Horum omnium pestilentissimis conatib. & fraudi-
bus hac severâ interminatione sanctus Apostolus obviam ire,
voluit; sed testatur Historia Ecclesiastica temporum, quæ bea-
tum Apostolorum ex his terris obitum secuta sunt, parùm eâ-
dem fuisse promotum. Prioris n. nefarii ausus, *additionis* intel-
lige, exempla è Scriptorib. Ecclesiasticis produci possunt lon-
gè plurima. Iren. lib. i. adv. hæres. c. 17. in princ. de discipulis
Simonis Magi (quem *omnium hæreticorum patrem* idem in
præf. libri tertii appellat) sic scribit. *Præter hæc, (quæ ex Canoni-
cis Script. proferunt & ad hæreticos suos errores detorquent)
afferunt inenarrabilem multitudinem apocrypharum & notha-*

*Exempla
hæretica
additionis*

rum Scripturarum, quas ipsi confinxerunt, ut stupefaciant amentes & ignaros literarum veritatis, ἀμύητων πλῆθος διακρύβει
Φων καὶ ἰόθρον γεὰ Φῶν παρὰ Θεοῦ, &c. libr. ejusd. cap. 35. p. 91. de Cainis hæreticis memorat, quod conscriptionem quandam pro Evangelio Judæ vendiderint. libr. 3. c. 11. pag. 188. de Valentinianis sic scribit. Hi qui à Valentino sunt, existentes extra omnem timorem, suas conscriptiones proferentes, plura habere gloriantur, quàm sint ipsa Evangelia, siquidem in tantum processerunt audacie, ut quod ab his non olim conscriptum est, veritatis Evangelium titulent, in nihilo conveniens Apostolorum Evangelis, ut nec Evangelium quidem sit apud eos sine blasphemia. Eusebius lib. 3. Hist. Eccles. cap. 3. p. 30. Acta quæ Petro nuncupantur & Evangelium, quod illius esse dicitur & prædicationem illi inscriptam & Apocalypsin ipsius dictam, nusquam inter Catholica scripta tradita scimus. Et postea. Acta quæ Pauli esse dicuntur, inter indubitata recensere non accepi. libr. ejusd. cap. 22. juxta dist. Gryn. inter adulterina censeantur acta Pauli, Apocalypsis Petri, præterea & quæ circumfertur Epistola Barnabæ & Apostolorum doctrine dictæ. Jam verò & Evangelium quidam, quod est ad Hebræos, inter ista connumerant, quo potissimum delectantur hi, qui ex Ebraeis Christum receperunt, &c. Et postea. Quædam sub nomine Apostolorum sive velut Petri, sive Thomæ vel Matthiæ vel aliorum præterea Evangelia, aut veluti Andreae & Johannis & aliorum Apostolorum acta continentia ab hæreticis proferuntur, quorum nullam uspiam vel aliquis Ecclesiasticæ successionis Scriptor mentionem in commentariis suis facere dignatus est. Hier. in catal. script. Eccles. in Petro. Petri nomine feruntur quinque libri, quorum primus Actuum Petri inscribitur, alius Petri Evangelium, tertius Prædicationes Petri, quartus Apocalypsis, quintus liber judicii. Vide plura hujus generis apud Baron. tom. 1. annal. ann. 44. n. 46. & seqq.

5. Ex his liquidò apparet, varia scripta adulterina sub nomine Apostolorum ac proinde etiam tanquam Canonica hæreticos Ecclesiæ obtrudere ausos fuisse, omnium verò manifestissimè id colligitur ex c. Sancta dist. 15. ubi Gelasius magnam talium apocryphorum scriptorum farraginem proponit, quibus hostes veritatis Canonicam & Apostolicam autori-
ta-

tatem conciliare voluerunt, recensentur enim illic inter Apo-
 crypha *Itinerarium Petri, Actus Andrea, Philippi, Petri Thome,*
Evangelia Thaddaei, Thome, Barnaba, Bartholomaei, Andrea, &c.
liber de infantia Salvatoris, de nativitate Salvatoris & S. Maria
& obstetrice Salvatoris, actus Teclae & Pauli, Revelatio Pauli,
Thome, Stephani, &c. Memorabile cum primis est, quod Ter-
 tullianus lib. de Bapt. cap. 17. p. 225. & ex eo Hieron. in catal.
 illustr. in Luca tom. 1. p. 102. referunt, quod, Johanne adhuc
 in vivis agente, Presbyter quidam in Asia, qui se *κρυπτα* sive
 sectatorem Pauli vocabat, spargere ausus fuerit Historiam,
 praferentem titulum de periodo Pauli & Teclae, in qua nuga-
 batur, *Teclam nobilem virginem Iconiensem voluntate & consen-*
su Parentum desponsatam fuisse cuidam Thamero, Paulum vero
cum venisset Iconium de virginitate eo modo fuisse concionatum,
ut Tecla repudiato sponso contra voluntatem & sponsi & Paren-
tum coelibatum voverit, & Paulum per multos annos Teclam il-
lam secum circumduxisse, velo eam consecrasset tradit à ipsi potesta-
te docendi, baptizandi & virgines voto perpetui coelibatus velan-
di & consecrandi. Sed cum Johannes ab exilio Ecclesiae resti-
 tutus esset, videns fabulam illam non esse consentaneam per-
 petuae doctrinae & sententiae Pauli, publice coram Ecclesia
 Presbyterum illum convicit, quod falsum & supposititium li-
 brum sub nomine & titulo Pauli sparsisset, & Presbyter ille
 publice confessus fuit, se hoc Pauli amore fecisse, quem Johan-
 nes propterea ministerio removit.

6. Posterioris sacrilegii, mutilationis scilicet, exempla *Exempla*
 itidem complura adduci possunt. De Marcione scribit Iren. *hereticae*
 lib. 3. adv. haeres. cap. 11. p. 187. *Marcion totum rejiciens Evan-* *detractio-*
gelium imò se ipsum abscindens ab Evangelio pariter gloriatur se *nis.*
habere Evangelium. (al. partem gloriatur se habere Evangelii)
 ac de eodem Tertullianus multis in locis testatur, quod *pluri-*
ma deleverit in sacris literis, quibus haeresin suam fortissimè re-
 felli sentiebat, lib. de carne Christi cap. 2. pag. 298. *His opinor*
consiliis tot originalia instrumenta Christi delere, Marcion ausus
est, ne caro ejus probaretur. cap. 4. p. 300. *Circumspice Marcion,*
si tamen non delisti, stulta mundi elegit Deus. cap. 7. p. 302. *He-*
reses (Marcionis & Apellis) ista de Evangelio abstulerunt. *Quis*
mihî

mibi mater & qui fratres? inde libr. 1. adv. Marc. cap. 1. p. 350. Marcionem vocat *murem Ponticum*, qui Evangelia corroserit. Et in lib. de præscript. adv. hæref. c. 17. p. 205. in genere dicit. *Ista hæresis non recipit quasdam Scripturas, & si quas recipit adjectionibus & detractionibus ad dispositionem instituti sui intervertit, & si recipit, non recipit integras, & si aliquatenus integras præstat, nihilominus diversas expositiones commentata convertit. Tantum veritati obstreperit adulter sensus, quantum & corruptor stylus.* Epiph. lib. 1. tom. 3. hæref. 42. col. 261. & seqq. latè & in specie exponit, quænam Evangelistarum libris & Apostolorum Epistolis Marcion detraxerit. Manichæi libros Evangelistarum in universum repudiabant, teste Augustino libr. 32. contra Faustum cap. 2. & libr. 33. cap. 3. De iisdem Manichæis scribit Leo serm. 4. de Epiph. quod *Apostolicas paginas quedam auferendo, quedam inferendo violaverint.* Cerinthi & Ebionis sectatores solo Evangelio *Matthæi* utebantur, quod vocabant *Evangelium secundum Hebræos*, reliqua verò rejiciebant. Iren. lib. 1. cap. 26. p. 81. Epiph. hæref. 30. pag. 105. Quidam soli *Marci* Evangelio honorem deferebant Iren. lib. 3. cap. 11. p. 186. Quidam tres Evangelistas Matthæum, Marcum, & Lucam recipiebant, *Johannem* verò tanquam illis contrarium repudiabant. Iren. d. 1. quos Epiph. hæresi 51. p. 349. Philastrius adv. hæref. cap. 60. August. de hæref. cap. 30. vocant *Αλόγως* sive Alogianos. Valentiniani contra nullum agnoscebant Evangelium, nisi *solum Johannis* Iren. l. d. Apocalypsin tanquam à Cerintho scriptam repudiavit Cajus antiquus quidam scriptor teste Eusebio libr. 7. Histor. Eccles. cap. 24. ut & Marcionitæ, Tertull. lib. 4. adv. Marc. c. 5. p. 406. *Etsi Apocalypsin Johannis Marcion respuit, ordo tamen Episcoporum ab origine recensus in Johannem stabit autorem.* Item Alogiani & Theodotiani. Epiph. hæref. 51. & 54. & c.

Exempla dubitationis 7. Ab hac hæreticorum sacrilega audacia necessariò distinguenda est orthodoxorum de quibusdam libris & libror. partibus in primitiva Ecclesia dubitatio. Sic de Epistola ad Hebræos, Jacobi, Petri secunda, Johannis secunda & tertia, Judæ & Apocalypsi discrepantes olim fuerunt inter ipsos Catholicos sententiæ, propter quam varietatem illi libri à reliquis

quis Canonicis N. T. libris, de quibus nulla unquam in Ecclesia dubitatio fuit, quiq; propterea Canonici primi ordinis dicuntur, rectè distinguuntur, interim tamen à Scripturæ Canonice simpliciter excludi non possunt, cum à plurib. & potiorib. Ecclesiis & Scriptorib. Ecclesiasticis fuerint recepti, nec tam de Canonica autoritate & autore eorū primario, quàm de Scriptorib. ministris dubitatum fuerit, unde in secundum Canonorum librorum ordinem docendi gratiâ referri possunt, quâ de re in prælectionib. de Script. latius fuit disputatum.

8. Ut autem de integris quibusdam libris, ita quoq; de quorundam librorum partibus inter ipsos orthodoxos sententiarum varietas extitit. Tempore Hieronymi *caput ultimum Marci* non fuisse ab omnibus ut Canonicum receptum, constat ex ipso Hieronymo in Epist. ad Hedibiam 150. quæst. 3. tom. 3. p. 349. ubi responsurus ad quæstionem, quæ causa sit, quod de resurrectione Domini & apparitione Matthæus & Marcus Evangelistæ diversa narraverint, subjicit: *Aut non recipimus Marci testimonium, quod in raris fertur Græcie libris penè hoc capitulum in fine non habentibus, præsertim cum contraria Evangelistis ceteris narrare videatur, aut quod uterq; verum dixerit, respondendum.* Euthymius Zigabenus, qui duodecimo post Christum natum seculo floruit, in explanat. illius capituli statim post illa verba Marci, *nemini quicquam dixerunt, timebant enim:* subjicit, *Quidam interpretum asserunt, hoc in loco completum esse Marci Evangelium, quæ verò sequuntur, recentiore esse additionem, oportet tamen hanc explanare, cum veritati nihil repugnet.* Quæ suspicio de incerta hujus capituli autoritate procul dubio ex eo orta, quod idem Hieron. libr. 2. contra Pelagian. cap. 6. p. 239. memorat, in quibusdam exemplaribus & maxime in Græcis Codicibus huic capiti quædam ab hæreticis inserta, quæ Manichæismum spirant. *Et illi (Apostoli) satisfaciebant dicentes, seculum istud iniquitatis & incredulitatis substantia est, quæ non sinit per immundos Spiritus veram Dei apprehendi virtutem, idcirco jam nunc revela justitiam tuam.* Sed ultimum illud caput Marci esse genuinam Canonicæ Scripturæ partem ostendimus in Harm. Evang. de resurrect. p. 4. Historia de sudore Christi sanguineo & confortatione Angeli

B

Luc.

2. De Canonico
librorum
partibus.

Luc. 22. olim non fuit in omnibus Codicibus. Hilarius lib. 10. de Trinitate p. 155. *Non ignorandum à nobis est & in Græcis & Latinis Codd. quamplurimis vel de adveniente Angelo vel de sudore sanguinis nil scriptum reperiri, ambigentibus igitur utrum hoc in libris variis aut desit aut supersit, incertum enim hoc nobis relinquatur de diversitate librorum, &c.* Idem repetit Hieron. l. 2. adv. Pelag. cap. 6. pag. 239. *in quibusdam exemplaribus tam Græcis quam Latinis invenitur scribente Luca, apparuit illi Angelus de cælo confortans eum.* Quod Luc. 19. v. 41. Christus super civitatem Hierosolymam *slevisse* dicitur, id quosdam olim sustulisse non intelligentes verbi hujus finem ac vim & robur, testis est Epiphanius in ancorat. p. 954. De Historia adultera Johan. 8. v. 1. scribit Augustinus lib. 2. de adulterin. conjug. ad Pollent. cap. 7. in princ. *Nonnullos modicæ aut inimici veræ fidei metuentes peccandi impunitatem dari mulieribus suis, eam de Codicibus suis abstulisse,* unde Hieron. lib. 2. adv. Pelag. c. 6. pag. 239. *in multis & Græcis & Latinis Codicibus eam inveniri* asserit, ex quo constat, quod non fuerit in omnibus inventa, neque extat hodiè in Syriaca paraphrasi. Euthym. in comm. Johan. 8. Historiam illam in quibusdam exemplaribus *obelis confossam* fuisse dicit.

Transitio ad dictum Apostolic. 1. Job. 5, 7. 9. Ad illam classem referendum etiam dictum Johannis 1. Epist. 5. v. 7. *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt,* de quo Hieron. in prolog. Epist. Canon. ad Eustochium memorat, quod ab infidelibus translatoribus olim fuerit *omissum.* *Hæ Epistole (inquit) sicut ab eis (Græcis autoribus) digestæ sunt, ita quoque ab Interpretibus fideliter verterentur in Latinum eloquium, nec ambiguitatem legentibus facerent, nec sermonum sese varietas impugnaret, illo præcipuè loco, ubi de unitate Trinitatis in prima Johannis Epistola positum legimus, in quo etiam ab infidelibus translatoribus multum erratum esse à fidei veritate comperimus; trium tantummodo vocabula, hoc est, aquæ, sanguinis & Spiritus testimonium omittentibus, in quo maxime & fides Catholica roboratur, & Patris, & Filii & Spiritus sancti una divinitatis essentia cõprobat.* In quibus Hieronymi verbis tria potissimum sunt notanda. 1. tempore Hieronymi locum illum in Græcis Episto-

Epistolarum Apostolicar. Codicib. extitisse, aliàs n. non posset Latinos Interpp. infidelitatis accusare, quod eum omiserint. 2. in omnibus Græcis Codicib. eo tempore illum fuisse, aliàs potuissent illi Interpretes Hieronymo obvertere, quod non invenerint eum in omnibus Codicibus. 3. Locum illum ex Hieronymi sententia fidem Catholicam de Patris, Filii & Spiritus sancti unâ divinitatis essentia maximè roborare. Atqui si eo tempore fuisset locus dubius, suspectus & controversus, non potuisset illi tantum robur ac pondus tribui. Erasmus quidem in resp. ad notationes Lei tom. 9. pag. 231. suspicatur pro *infidelibus* apud Hieronymum legendum esse, à *fidelibus translatoribus* hunc locum omissum. Sed hoc est ex nigro album facere, clamat totus contextus, Hieronymum infidelitatem eorum Interpretum accusare, qui classicum hunc locum omiserint.

10. De hoc igitur loco disquisitionem instituemus duabus partibus inclusam. Prior *Canonicam hujus dicti autoritatem* vindicabit. Posterior *Trinitatis mysterium* ex eo demonstrabit. Utraq; opposita erit Photinianis utrumq; membrum negantibus. Quod enim prius attinet, constat *Anabaptistas* & *Anabapti-* eorum vestigiis insistentes *Photinianos* *Canonicam hujus dicti* autoritatem prorsus negare. De *Anabaptistis* Sixt. Senensis lib. 7. Biblioth. sanct. p. 611. scribit, quod dicant *sententiam illam à fautoribus Trinitatis textui insertam reclamantibus omnibus Græciae exemplaribus*. Georg. Blandrata in disp. Albana act. diei. 2. E. 1. *Nemo est qui non videat locum hunc suspectissimum esse, cum à plurimis Doctoribus ac Interpretibus ferè omnibus sit prætermisus*. Franc. David. contra D. Georg. Majorem N. 2. non veretur scribere, *esse commentum Hieronymi, aut ab Athanasio ad oppugnandum Arium suppositum*. Socinus in comm. 1. Epist. 5. p. 416. *esse hæc verba adulterina & ab hominibus, qui suum dogma de trino & uno Deo quacung; ratione defendere ac propagare voluerunt, in hunc locum infarctâ*. Idem contra Bell. & Wiekum c. 5. class. 3. arg. 11. *Hactenus ita locutus sum quasi nullam controversiam patiatur locus iste, qui tamen adeo est controversus, ut potius tuto affirmari possit, verba illa addita olim fuisse*. Et postea. *Cum locus planè controversus sit, nihil ex eo colli-*

gi potest ad quicquam concludendum. Idem in animadv. ad asfert. Polnan. pag. 127. Verba ista de testimonio Patris, Verbi & Spiritus sancti non habentur in emendatioribus & antiquioribus Græcis Codd. nec in Syriaca editione, nec etiam in antiquissimis Latinis exemplaribus. Enjed. in explic. Locorum. Merito hunc locum inter suspectos numerari nemo nisi impudentissimus & indoctissimus negaverit &c. nihil ergo momenti & roboris vel ad confirmandum vel ad confutandum habet. Goslavus contra Keck. part. 1. c. 4. p. 52. locus hic nullum habet robur ad dogmata fidei probanda vel improbanda, idq; propterea qd ipse locus veniat in controversiam, nam cui dubium est, dubia dubiis fidem facere non posse? Schmaltzius contra Schopperum de Trinit. p. 16. Locum hunc à Sciolo quodam assutum fuisse scribit. Idem in refutat. disp. 1. D. Frantz. p. 6. adducens dictum illud de tribus in cælo testibus, per Parenthesin addit, si modò testimonium illud non est corruptum. Catech. Racov. p. 47. non posse aliquid ex hoc loco concludi, cum non extet in vetustioribus exemplaribus Græcis nec Latinis nec in Syriaca paraphrasi, &c.

2. De eo II. Ex Pontificiis locum hunc dubium & suspectum esse
dubitant statuunt Erasmus Leonis X. dilectus filius, & eum secutus Ca-
i. quidam jetanus. Sic enim scribit Erasmus in annotat. 1. Joh. 5. p. 768.
Pontificii. In Græco Codice tantum hoc reperio, tres sunt, qui testificantur,
 Spiritus, aqua & sanguis. Et postea. Cum constet & apud Græcos
 & apud Latinos olim variasse lectionem, nihil hoc telum adversus
 Arianos valebit. In Apolog. versionis suæ prolixè contendit
 locum hunc esse dubium & suspectum. Salmeron disp. 30. tom.
 16. p. 307. de eo sic scribit. Erasmus Græcos Códices, qui inter se
 variabant, sequens, neglectà Hieronymi autoritate, hæc verba omi-
 sit. Postea tamen facti pœnitens restituit in alia editione ex Codi-
 ce Britannico, cum urgeretur à Catholicis. Idem tamen ad vomitum
 rediens contendit se malè restituisse. Quod Erasmus facti
 pœnituisse Salmeron asserit, id patet tum ex editionibus anno
 1522. & anno 1541. in quibus versiculum illum prius à se omis-
 sum textui inseruit, tum ex ejus paraphrasi in 1. Johan. 5. Tres
 sunt in cælo, qui testimonium perhibent Christo, Pater, Sermo &
 Spiritus. Pater, qui semel atq; iterum voce cælitus emissà testatus
 est, hunc esse Filium suum egregiè carum, in quo nihil offenderet.
 Sermo

Sermo, qui tot miraculis editis, qui moriens ac resurgens decla-
navit verū esse Christum, Deum pariter & hominē, Dei & hominū-
conciliatorem. Spiritus sanctus, qui in baptizati caput descen-
dit, qui post resurrectionem delapsus est in discipulos. Cajetanum
hoc nomine reprehendit Ambros. Catharinus libr. 1. contra
Cajet. quod dubitaverit an hæc verba Trinitatis testimonium
continentia sint de contextu Epistola Johannis. Reliqui verò
Pontificii locum hunc pro genuino & Canonico habent.
Senens. lib. 7. Biblioth. hæref. 9. p. 613. scribit, verba illa apud
Catholicos indubitata semper veritatis fuisse, & in omnib. Græcis
exemplaribus ab ipsis Apostolorum temporibus lecta, nec opus esse
quicquam de ipsorum perpetua integritate, sinceritateq; dubitare.
Bellarm. lib. 1. de verbo Dei c. 17. verba illa esse veram partem
Scripturae divinae, dubium non est. Eadem Salmeronis, Grego-
rii Valentiani, & reliquorum est sententia.

12. Calvinus ut in aliis quamplurimis, ita etiam hoc 2. quidam
in loco Arianis & Photinianis frigidam suffundit, sic enim in *Calvinia-*
hunc locum commentatur pag. 85. *Hoc totum de tribus in cælo ni-*
testibus à quibusdam omissum fuit. Hieronymus existimat potius
malitiã quàm errore id fuisse factum, & quidem à Latinis dunta-
xat. Sed cum ne Græci quidem Codices inter se consentiant, vix
quicquam asserere audeo. Quia tamen optimè fluit contextus, si
hoc membrum addatur & video in optimis ac probatissima fidei
Codicibus haberi, ego quoq; libenter amplector. Sed mox ener-
vans omnem argumenti vim, quod ex hoc loco contra Ari-
nos & Photinianos deducitur, dum negat ad essentiam refe-
rendum esse, quod tres dicuntur esse unum, tandem conclu-
dit: Quia non omnes fortè lectionem hanc recipient, quæ sequun-
tur perinde exponam, ac si Apostolus hos solos in terra testes nomi-
nasset. Fatetur contextum optimè fluere, si hoc membrum
addatur; fatetur in optimis ac probatissima fidei Codicib. lo-
cum haberi, ac nihilominus in gratiam eorum, qui lectionem
illam non recipiunt, textum sic exponit, ac si Apostolus solos
tres in terra nominasset testes, & essentia unitatem à tribus in
cælo testibus disertè removet. Unde ἀριανισμὸς ille Arianus con-
tra quem Zanchius scripsit tom. 8. oper. antith. 37. col. 902. ad
Calvini & Erasmi auctoritatem provocat. Hemming. in comm.



1. Joh. 5. cum haec verba ab alio videantur interposita, ideo illa omit-
to. Sed alii ex Calvinianis rectius statuunt, locum hunc esse
genuinum & omnino retinendum. Beza in annot. major.
Hic versiculus omnino mihi retinendus videtur, explicat enim ma-
nifestè, quod de sex testibus dixerat, tres seorsim caelo, tres terre
tribuens. Rud. Gualtherus homil. 31. in 1. Johan. 5. pag. 71.
Quamvis sint, qui prius membrum de tribus in caelo testibus adul-
terinum esse & à Sciolo in marginem ascriptum, tandem in oratio-
nis contextum irrepsisse putent, moventur hi quorundam Patrum
autoritate & imprimis Cyrilli, qui cum locum hunc citet, membrum
tamen illud omisit. Sed nos Hieronymum sequi malimus cum saepe
accidat, ut in Scripturis citandis multa intermedia omittantur
tam à priscis quam recentioribus Scriptoribus, &c. Aretius in
comm. h. l. pag. 109. Hunc versum deleverunt ex Syriaco Testa-
mento indubiè Ariani, qui hoc fulmine prosternuntur validè, ideo
olim quoq; in multis exemplaribus Graecis & Latinis defuit. Sed
habent haec verba hodiè correctà exemplaria omnia & legit ea-
dem Augustinus & Hieronymus, ideo non moveat nos Syriacum
exemplar. Zanchius d. l. & lib. 1. de trib. Eloh. cap. 1. libr. 8. c.
5. contra Arianos eum vel maximè urgeri posse statuit. Polan.
in Synt. p. 219. Versiculus ille procul dubio ab Arianis est erasus, in-
sidiosè prædicantibus eadem versu sequente iterari, utq; omitteretur
facile obtinentibus apud imperitum Ecclesiae & ignavum librario-
rum vulgus, Constantii maximè & Valentis temporibus. Franc.
Jun. in annot. Ego ab Arianis versiculum illum olim abrasum
puto. Pisc. & Tossan. in Bibliorum versione eum retinent.

3. B. Luth. 13. B. Luthero nostro grandem eo nomine Põtificii scribunt
in Bibliis dicam, quod in Germanica versione hunc versiculum omise-
Germani- rit. Pistor. in lib. de sign. ant. & novæ fidei p. 6. Tannerus in-
cis hoc di- anat. August. Conf. part. 1. demonstr. 2. §. 24. in dioptra fidei
Et omisit. part. 1. cap. 5. p. 81. ubi inter corruptelas textus Biblici à Luthero
committas illud recensent. Gretserus in defens. Bellarm. lib.
1. cap. 16. p. 290. ubi hoc publicum sui in Arianos amoris monu-
mentum Lutherum publicè statuere voluisse asserit. Sandæus
in themat. seculari de Synag. protest. deserenda th. 28. vocat
sacrilegum plagium. Ex Calvinianis Keckerm. in syst. Theol.
cap. de Trinit. existimat, Lutherum non posse nec debere excusari.

Resp.



Resp. 1. magna differentia est inter omissionem hujus versiculi
in Germanica versione factam à Luthero, & inter hæreticam
ejus rejectionem ab Arianis & Photinianis factam. Lutherus
dogma de Trinitate, quod ex his verbis probatur, toto pecto-
re non solum amplexus est, sed etiam totis viribus contra ve-
ritatis hostes defendit, ut vel ex aureo ipsius in ultima verba
Davidis commentario, qui extat. tom. 8. oper. German. cuius
conspicuum. Cogitari igitur nequaquam potest dolo malo
vel in gratiam Arianorum hæc verba ab ipso esse prætermissa:
sed Arianos ac Photinianos propterea autoritatem hujus ver-
siculi labefactare ac subterfugere constat, quia hæresi suæ eum
fortissimè adversari animadvertunt. 2. Distinguendum igitur
inter omissionem probabili quadam ratione factam, & inter
evulsionem privato, temerario & hæretico ausu susceptam.
Non de priore, sed de posteriore comminatio Apocalyptica
propriè loquitur: jam verò posterius à Luthero commissum
esse, nunquam demonstrari poterit. Quod si enim Lutherus
in Græcis Codicibus, quos in versione sua ad manum habuit,
versiculum illum invenisset, procul dubio versioni suæ illum
inferuisset, jam verò non extat versiculus ille in omnibus Græ-
cis Codicibus, quinimò Erasmus in annot. h. l. edit. anno 41.
testatur, ne quidem in pervetusto Codice Bibliothecæ Vatica-
næ à Bombasio descripto eum reperiri. Robertus Stephanus in
Scripto, quod edidit anno 1550. in quo annotavit, quæ haben-
tur in sedecim Codicib. Græcis, novem exemplaria hæc verba
habere, & in septem aliis desiderari scribit, cum quo congruit
illud Erasmi in resp. ad notationis novas Eduardi Lei tom. 9.
p. 231. *Mibi (inquit) diversis temporibus plura exemplaria (Græ-
ca) fuerunt, quàm septem, nec in ullo horum repertum, quod in
nostris legitur.* Lutherus videtur in versione usus exemplari
Bibliorum Græcorum, quod Aldus Manutius Anno 1518. Ve-
netiis edidit, de quo in præfatione dicit Andreas Asulanus,
quod multis vetustissimis exemplaribus collatis sit conscri-
ptum. 3. Fortè etiam hoc permovit Lutherum, quod Cyrillus
libr. 14. thesauri cap. 5. Augustin. lib. 3. contra Maximin. c. 22.
& Augustinum secutus Beda in comment. locum hunc de-
tribus in terra testibus allegent, nullâ trium in cœlo testium
men-

mentionem facta, ex quo constare videtur, Cyrillum & Augustinum in Codicibus quibus usi sunt, eum non habuisse. Ab Augustini enim latere agrè solitus fuit discedere, quem non dubitat omnibus Ecclesiasticis scriptoribus anteferre tom. 3. Jen. Germ. fol. 368. 4. nec in Syriaca paraphrasi versiculus iste occurrit. Tremell. in annot. h. l. *Quia non in impresso tantum, sed etiam in Manuscripto Codice Heidelbergensi hic versiculus omittebatur, nec in omnibus vetustis Græcis Codd. legebatur, non sum ausus textui eum inserere*, quâ de re tamen Luthero nihil constare potuit, cum anno 1556. primùm auspiciis Ferdinandi Imperatoris operâ Alberti Widmanstadii in Europa Syriaca paraphrasis in lucem prodierit. 5. Si Lutherus hunc versiculum versionem Germanicam inseruisset, idem fortè ipsi objectum fuisset, quod de clausula orationis Dominicæ, quæ itidem nō extat in omnibus Codicibus Græcis, ipsi hodiè objicitur, videlicet quod alienorum adjectione Bibliorum integritatem corruperit, sicut & Bellarm. lib. 2. de verbo Dei c. 7. §. 9. dicit, *verba illa licet in omnibus Græcis Codd. inveniuntur, non esse de textu.* 6. Postquam apparuit verba illa in vetustissimis ac probatissimis Codd. Græcis inveniri, ab aliquot veteribus adduci & à contextu eadem requiri, non dubitarunt nostrates Germanicam Lutheri versionem ea inserere, ut constat ex recentioribus Bibliorum Germanicorum editionibus. Vide edit. Bibl. Germ. Witebergensem An. 1606. (de qua in frontispicio prædicatur, quod juxta ultimum à Luthero revisum exemplar diligenter sit correctum) ed. Jenensem An. 1598. 7. Si Luthero Ariani erroris favor ac patrocinium propter omissionem illius versiculi jure ascribi posset, utiq; etiam vulgatæ versionem Latinam à Concilio Tridentino canonizatam idem tribui posset. Enjedinus. in detorsione dicti evidentissimi 1. Tim. 3. v. 16. p. 373. Latinam versionem, in qua nomen Dei est omissum & hac ratione argumentum, quod contra Arianos & Photinianos ex illo dicto peti potest longè firmissimum, labefactatum, vehementer urget ac Græco textui eandem præfert. Quid quod hunc ipsum locum Johannæum quædam Latina exemplaria non habent, ac Theologi Lovanienses in suis notationibus scribunt, *antiquum correctorium, quod contribuerat M. N. Hannæus annotare,*
verba

object. 7. pag. 613. inclinare videtur, sed libenter concedimus esse quandam Codicum varietatem, & in quibusdam eum legi, in quibusdam verò non haberi, sed ex eo Canonica & divina hujus pericopes autoritas penitus everti nequit, ut postea videbimus. 2. Nequaquam hoc volumus, quod hic versiculus unicus ac solus Photinianis sit opponendus, sed reliquis Scripturæ testimoniis eum conjungendum esse dicimus. Cum primis urgendum & cum hoc ipso loco conjungendum est classicum illud dictum Christi Johan. 10. v. 30. *Ego & Pater unum sumus*, contra quod nullâ veritatis specie Photiniani excipere possunt, quod non extet in omnibus Codicibus, & ex quo Johannes hanc ipsam assertionem de tribus in cœlo testibus, qui unum sunt, procul dubio desumpsit. Si Christus contra Sadducæos resurrectionem mortuorum demonstraturus non adducit dicta ex Prophetis, quippe quos illi, ut vulgata fert opinio, repudiabant, sed ex Mose, Matth. 22. v. 31. quem solum recipiebant. Sixt. Senens. libr. 2. Biblioth. pag. 124. (quamvis verba Josephi lib. 18. antiq. Judaic. c. 2. quod *Sadducæi nihil quicquam præter legem servandum existimaverint*, non Scripturis Prophetis, sed traditionibus Pharisaicis opposita esse videantur, eum nec Epiphanius nec Philastrius in hæres. Sadduc. hujus erroris mentionem faciant) 3. Illis, qui de hujus versiculi Canonica autoritate nondum productis verustissimis & probatissimis exemplaribus necdum autoritate ejus firmiter demonstratâ olim dubitarunt, facile ignosci potest, sed qui adhuc hodiè non solum de eo dubitant, sed etiam planè supposititium & adulterinum eum esse audacter asserunt, & sine quidem eo, ut Anti-Trinitariam hæresin liberiùs propugnent, nec dicti hujus evidentiam urgeantur, illorum temeritati & pestilentissimis erroribus meritò totis viribus obviamitur. *Ignosci potuit* (scribit Cyprianus in Epist. ad Jubajanum pag. 326.) *simpliciter erranti, post inspirationem verò & revelationem factam, qui in eo, quod erraverat, perseverat, prudens & sciens sine ignorantia venia peccans presumptione atq; obstinatione superatur.* 4. Argumenta, quæ pro astruenda Canonica hujus dicti autoritate adducemus, non divisim sed conjunctim sunt sumenda. Ipsimet enim agnoscimus non esse omnia ejusdem roboris ac ponderis, nec separatim accepta id demonstrare posse,

posse, ad quod demonstrandum unà cum reliquis adhibentur.

15. His ita præmissis, producimus argumentorum no- 1. ab anti-
strorum classes. I. Primam ducimus ab antiquissimorum & pro- quissimor.
batissimorum exemplarium testificatione. Inter κειμήλια Scriptu- & proba-
ræ Canonica interna refertur etiam manus scriptorum, quod tissimorū
videlicet Prophetæ, Evangelistæ & Apostoli Canonica scripta exempla-
suâ manu exarare vel saltem illis subscribere consueverint, ut rium testi-
ab Ecclesia, cui tradebantur, ipsis fides haberetur. Sic Lucas ficatione.
cap. I. v. 3. *Visum est mihi omnia assécuto à principio diligenter ex
ordine tibi scribere, optime Theophile, κειμήλια & θεόφιλος*: Ex quo epi-
theto Theoph. colligit, nomen Theophili fuisse proprium cu-
jusdam primatis verâ Christi cognitione imbuti Act. 23. v. 26 c.
26. v. 26. Jam verò nota erat Theophilo manus Lucæ, ex qua
agnoscere poterat, scriptum hoc à Luca esse profectum. Jo-
hannes cap. 21. v. 24. *Hic est discipulus ille, qui testimonium per-
hibuit de his, & scripsit hæc, & scimus, quia verum est testimoniū
ejus*. Ergò idem, qui hæc vidit & audivit, ἰδὼς & ἀκούσας eadem scri-
psit. I. Cor. 16. v. 21. *Salutatio mea manu τῆ ἐμῆ καὶ Πάυλου*, qua-
lis autem fuerit illa salutatio, colligitur ex verbis subjectis v.
23. *Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum, Amen*, quæ ver-
ba paucis quandoq; additis vel omissis in omnibus Pauli Epi-
stolis occurrunt Roman. 16. vers. 24. *Gratia Domini nostri Jesu
Christi cum omnibus vobis, v. 24. Caritas mea cum omnibus vobis
in Christo Jesu, Amen* 2. Cor. 13. v. 13. *Gratia Domini nostri Jesu
Christi, & caritas Dei & communicatio sancti Spiritus sit cum o-
mnibus vobis, Amen*. Gal. 6. vers. 18. *Gratia Domini nostri Jesu
Christi cum Spiritu vestro fratres, Amen*. Ephes. 6. v. 24. *Gratia
cum omnibus, qui diligunt Dominum Jesum Christum in incorru-
ptione, Amen*. Philipp. 4. v. 23. *Gratia Domini nostri Jesu Christi
cum Spiritu vestro, Amen*. Coloss. 4. v. 18. *Salutatio mea manu
Pauli. Gratia vobiscum, Amen*. I. Thess. 5. v. 28. *Gratia Domini
nostri Jesu Christi vobiscum, Amen*. 2. Thess. 3. vers. 17. *Salutatio
mea manu Pauli, quod est signum in omni Epistola, εἶπας καὶ Πάυλος
sic
scribo* v. 18. *Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis,
Amen*. I. Tim. 6. 21. *Gratia tecum, Amen*. 2. Tim. 4. v. 22. *Dom-
inus J. C. cum Spiritu tuo, Gratia vobiscum, Amen*. Tit. 3. v. 15. *Gra-
tia Dei cum omnib. vobis, Amen*. Philem. v. 19. *Ego Paulus scripsi
mea manu* v. 25. *Gratia Domini N. J. C. cum Spiritu vestro, Amen*.



Ex his manifestè apparet, salutationem illam ab Apostolo omnib. Epistolis à se scriptis fuisse subjectam, & ipsius Apostoli manu additam, ut per eam à Pseudo-Apostolorum literis distinguerentur, quippe de quib. constat ex 2. Theff. 2. v. 2. quòd & *nomen & Spiritum & sermonem & literas* Apostolorum mentiti fuerint, unde haud improbabiler quidam colligunt, Epistolam ad Hebræos esse Pauli, quia signum illud eidem additum, Hebr. 13. vers. 25. *Gratia cum omnibus vobis, Amen.* Autographa illa Pauli, Evangelistarum & Apostolorum tradita sunt Ecclesiis à sanctis illis Dei hominibus plantatis, & in illis diu conservata, ut ex Irenæo, Tertulliano & Eusebio constat, ac si qua dubitatio de libro quodam Canonico vel parte Canonici libri fuit orta, tunc ad autographa illa per Episcoporum successionem conservata recurrere potuerunt, unde est, quod pii veteres hæreticis toties successionem in Ecclesiis Apostolicis, hoc est, ab Apostolis fundatis opponunt. Aug. l. 1. contra adv. legis & Proph. cap. 20. *De Apocryphis iste posuit testimonia quæ sub nominibus Apostolorum Andreae Johannisq; conscripta sunt, quæ si illorum essent, recepta essent ab Ecclesia, quæ ab illorum temporibus per successiones certissimas usq; ad nostra deinceps tempora perseverat.* Similia habet libr. 22. contra Faustum cap. 79.

16. Quia verò post tot seculorum decursus autographa illa non amplius hodiè in Ecclesia extant, (quod enim Gretser. in defens. Bellarm. p. 497. ex Genebrardo & Baronio scribit: *Primogenium exemplar Marci non Græcè sed Latine scriptum adhuc extare & Venetiis inter ἀρχαία Marci asservari*, illud non potest idoneo aliquo probati scriptoris vetustioris testimonio confirmari) ideò secunda navigatione utendum, hoc est, recurrendum ad antiquissima & probatissima exemplaria, quæ ex autographis illis, in primitiva Ecclesia asservatis, dubio procul sunt descripta, & quæ cum illis congruunt, acceptanda, quæ verò dissonant repudianda. Jam verò dictum illud Johannæum, de quo agimus, habetur in probatissimis & vetustissimis exemplaribus, ad quod probandum produci-mus. I. *Codices Græcos*, qui tempore Hieronymi extiterunt. Vixit Hieronymus sub finem quarti à Christo nato seculi,

seculi, nam in comm. cap. 3. Osee ipse scribit, paulò minus quam quadragesimum, quo tunc commentatus est, a Christi passione esse annum, ergò Codices, qui tempore Hieronymi extiterunt, fuere antiquissimi & autographis Apostolicis maxime conformes. Aug. libr. 18. de civ. Dei c. 43. ipsum vocat hominem doctissimum, & omnium trium linguarum peritissimum. libr. 1. contra Julian. Pelag. cap. 7. de ipso dicit, quod Græco pariter & Latino, insuper & Hebræo eruditus eloquio in literis sacris usq; ad decrepitam etatē vixerit atq; omnes vel penè omnes, qui ante illum ex utraq; parte orbis de doctrina Ecclesiastica scripserant, legerit. Ac res ipsa testatur, nullum posse ex omnibus veteribus nominari, qui quoad linguarum cognitionem Hieronymo sit conferendus, nedum præponendus, ipsius ergò hac in parte testimonio multum tribuendum: Cùm enim ex ipsis fontibus sacra Biblia verterit, dubium nullum, quin de antiquissimis & probatis. Codd. sibi pspexerit, unde de seipso pronunciat, quod ad veritatis lineam in versione Latina omnia correxerit. Jam verò Codices Græci, qui extiterunt Hieronymi temporib. versiculum illum habuerunt & quidem omnes, ut ex ipsius verbis in prolog. in Epist. Canon. superiùs §. 9. demonstravimus: Conqueritur enim ab infidelibus translatorib. omissione illorum trium in cælo testium esse erratum. Rege- rit Erasmus in annotat. ultimis pag. 769. 1. Hieronymum nihil queri de Codicibus Græcis, sed tantum de iis, qui Græca Latine verterunt, at nunc in Græcis Codicibus hoc potissimum deesse, quod omissum ipse conqueritur & haberi in Codicibus Latinis, licet non omnibus. Resp. Sufficit nobis, quod ex Hieronymi testimonio evidenter colligitur, Codices Græcos ipsius tempore hanc pericopen habuisse, & ab infidelibus translatoribus Latinis esse omissam, ex eo enim facile intelligitur Græcos Codices, qui versiculum illum temporibus sequentibus omiserunt, esse corruptos, & ex Hieronymianis Codicibus corrigendos, quia hic vel maxime locum habet illud Tertulliani lib. 4. adv. Marcion. c. 5. in princ. id verius quod prius, id prius, quod ab initio; id ab initio, quod ab Apostolis. 2. Græca exemplaria aut variabant aut habebant quod nos vertimus. Si variabant, quemadmodum & Latina, quoniam argumento docet Hieronymus, utrum



fit rectius, utrumve scriptum sit ab Apostolo, præsertim cum quod reprehendit, tum haberet publicus usus Ecclesiæ? quod nō fuisset, non video qui possint habere locum, quæ apud ipsum sequuntur, in quibus conqueritur, se falsarium corruptoremq; sacrarum literarum pronuciari, at quis eum clamasset falsarium nisi publicam mutasset lectionem? Quod si apud Græcos legit Cyrillus, quod nunc habent Græci Codices, si apud nos Augustinus ac Beda, aut tantum hoc legit, aut utrumq; legit, non video quid adferat argumenti Hieronymus, quo docet Germanam esse lectionem, quam ipse nobis tradit. Resp. Græcos Codices tempore Hieronymi non variasse colligitur ex eo, quod Latinos translatores infidelitatis hoc nomine accuset, quod versiculum illum omiserint, at si in quibusdam Codicibus non extitisset, non potuissent infidelitatis accusari, ut monuimus etiam superius. Quod de publico Ecclesiæ usu affertur, id vel de Græca Orientali, vel Latina Occidentali intelligitur. In Græca Ecclesia non fuit versiculum ille omissus, cum in Græcis Codicibus locum habuerit, ut ex hoc ipso loco Hieronymi constat: de Cyrillo quod objicitur, suo loco inferius explicabitur. In Latina Ecclesia itidem non fuit penitus ignotus, ut patebit ex testimoniis Patrum inferius adducendorum, quod non fuit in omnibus exemplaribus Latinis inventus, illud argumento est, vel translatorum infidelium negligentia fuisse omissum, vel Arianorum malitia erasum, id verò nihil quicquam præjudicat Græco textui, qui solus in N. T. est authenticus. Quod si ex usu Ecclesiæ absolute & simpliciter velimus iudicium facere, quis textus sit authenticus, consequens fuerit Græcam LXX. Interpretum versionem esse authenticam, quia antequam Hieronymi versio prodiret, ea publico Ecclesiæ usu fuit recepta, ut constat ex Augustino lib. 15. de civ. Dei cap. 23. lib. 18. ejusd. cap. 42. &c. cum tamen ab Hebræo textu sæpè quàm longissimè discedat, & juxta eam Methusalem annos quatuordecim post diluuium vixisse inveniatur, in quo explicando vehementer laborat Augustinus. Hieronymum falsarium corruptoremq; sacrarum literarum à malevolis vocatum concedimus, sed ex eo non potest inferri, Græcorum Codicum lectionem variasse; ideò enim Hieronymus à quibusdam impudenter falsi accusatus est, quod textum He-

Hebræum V. T. versioni Græcæ, & textum Græcum N. T. versioni Latinæ publicè receptæ anteferret, ac novam versionem cum fontibus congruentem, sed à versione passim recepta discedentem adornaret. Convitio illi, quod Erasmus Hieronymo facit, dum eum *violentum, parum prudentem, varium, sibiq; parum constantem* nominat, opponimus illud, quod idem Erasmus in præf. operum Aug. *divitem Scripturarum penum in Hieronymo jure laudari* asserit.

17. 2. *Codicem Britannicum*, de quo Erasmus in annotat. Anno 40. editis p. 770. *Ne quid dissimilem, inquit, repertus est apud Anglos Codex Græcus unus, in quo habetur, quod in vulgatis deest. Scriptum est enim ad hunc modum. ὅτι τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῷ θεῶν, Πατὴρ, Λόγος, καὶ πνεῦμα, καὶ ἕτοι οἱ τρεῖς ἐν εἰσιν, &c.* Hic Codex Britannicus ob vetustatem tantæ fuit apud Erasmum autoritatis, ut versiculum illum in prioribus editionibus omissum in posterioribus *accuratissimâ curâ* (ut ipse scribit) *recognitis* restitueret. *Ex hoc Britannico Codice* (inquit) *reposuimus, quod in nostro dicebatur deesse, ne cui sit ansa calumniandi*, mox tamen ad ingenium rediens subjicit, *tametsi suspicor Codicem illum ad nostros esse correctum*. Sed hujus suspicionis causa nulla. Ad hunc Codicem Britannicum etiam provocant Beza in annot. pag. 614. & Sixtus Senens. in Biblioth. lib. 7. p. 613. 3. *Codices* illos quos secuti sunt *editionis Complutensis* autores. Nam in editione illa Complutensi anno 1517. felicibus auspiciis illo ipso, quo B. Lutherus reformationis opus cœpit, anno in publicum productâ, dictum de tribus in cœlo testibus expressè habetur. In præfatione illius operis Franc. Ximenius Cardin. Archiepisc. Toletanus & regnorum Castellæ Archicancellarius ad Leonem X. sic loquitur. *Id apertè testari possumus, maximam laborum partem in eo præcipuè fuisse versatam, ut castigatissima omni ex parte vetustissimaq; exemplaria pro archetypis haberemus, quorum quidem tam Hebræorum, quàm Græcorum ac Latinorum multiplicem copiam variis ex locis non sine summo labore conquisivimus. Atq; ex ipsis quidem Græca sanctitati tuæ debemus, qui ex Apostolica Bibliotheca antiquissimos tum V. tum N. T. Codices per-*
quam

quam humanè ad nos misisti, qui nobis in hoc negotio maximo fuerunt adjumento. Huic ergò Complutensi editioni, utpote vetustissimorum exemplarium archetypis conformi, plurimum, omninò tribuendum. 4. *Codices* quos *Valla* ad manum habuit. *Laurentius Valla* vir alioqui diligens non meminit in annot. ad h. l. ullius inter Græcos Codd. discrepantiæ, haud dubium quin admoniturus, si quid hic dissidere comperisset, cum vulgatam versionem à Græco textu dissidentem alibi non sine convitiis insectetur. Urget hoc *Eduardus Leus* contra *Erasmum*, cui frigidè respondet *Erasmus*. *Laurentium hominem fuisse ac fieri potuisse, ut eum aliquid fugerit.* tom. 9. p. 231. Item *fieri potuisse, ut Valla non animadverterit,* p. 232. tandem tamen vi veritatis convictus concedit *fieri potuisse, ut Codex Laurentii Vallæ habuerit, quod ipsius (Erasmi) Codices non habebant,* quod est verissimum & ad versiculi hujus integritatem probandam pertinet. 5. *Codices*, quibus usus est *Heruagius*, qui Basileæ Græca Biblia V. ac N. cum præfatione *Philippi Melanctonis* Anno 1545. edidit. In Basiliensi enim illa editione extat hic versiculus, & quamvis sub finem addita sit diversa lectio aliquot locorum, partim ex optimorum exemplarium collatione, partim ex Doctorum observatione collecta, tamen hujus loci nulla fit mentio, ex quo intelligitur, lectionem in eo non variasse. 6. *Codices Roberti Stephani*. Is enim vetustissimos quosq; *Codices Græcos* summâ diligentiam conquestus, & quod suprâ etiam monuimus anno 1550. scriptum edidit, in quo ea, quæ in sedecim Codicibus Græcis diversimodè leguntur, annotavit, ac quamvis in septem Codicibus versiculus ille fuerit desideratus, in novem tamen Codicibus fuit repperitus, quorum utpote potior. & antiquior. & plurium fidem ipsemet secutus textui eum inseruit. 7. *Codices*, quos *Bened. Arias Montanus* in opere *Regio* Anno 1571. edito secutus est, eos verò & antiquissimos & probatissimos fuisse constat ex præfatione, in qua inter cetera *Arias* sic loquitur. *Granvellanus Cardinalis Bibliorum Græcorum exemplaria suis impensis ad Vaticanam fidem descripta ac diligentissimè collata ad nos misit.* Ex quo intelligitur, quod *Erasmus* in annot. de Vaticano Codice memorat, particulariter duntaxat accipiendum, cum in aliis ejusdem

eiusdem Bibliothecæ Codicibus fuerit repertum. 8. Horum Codicum fidem dubio procul secutus est *Elias Huterus* in opere Biblico Hamburgi Anno 1587. edito, in quo itidem versiculum illum controversum textui insertum videre est. Item 9. autor editionis *Wecheliana* Francofurt. Anno 1597. qui in aliis (ut in præfation. testatur) Aldinam secutus est editionem, sed hunc versiculum restituit, qui in Aldina non habetur.

18. Alteram argumentorum classem ducimus ex *variar. versionum collatione*. Cum enim autores Biblicarum versionum in id cum primis intentos esse oporteat, ut originalem textum tanquam regulam sollicitè sectentur, neque quicquam illi vel addant vel detrahant, memores gravissimi interdicti, Deut. 4. v. 2. cap. 12. v. 32. Apocal. 22. vers. 18. & verò in plerisque Bibliorum translationibus versiculus ille habeatur, meritò statuitur, in Codicibus vetustissimis & probatissimis, quorum fidem ipsi sunt secuti, eum extitisse. Producimus ergò 1. *versiones Latinas*. Tempore *Hieronimi* ab infidelibus translatoribus Latinis dictum de tribus in coelo testibus fuit omis- sum, sed ipse illud ex Græcis Codd. in sua versione restituit, unde à Patribus quibusdam Latinis tanquam Canonicum & authenticum allegatur, ut postea videbimus. In exemplari *Constantiensi* utroq; illud extitisse, testis est *Eras. d. l.* In Bibliotheca Ducali hujus nostræ *Academia* instructissima habentur duo Codices Latini in membrana Manuscripti vetustissimi, in quorum utroq; dictum illud reperitur. In Bibliis Latinis *Antuerpiensibus* Anno 1534. editis idem habetur, in quorum præfatione is, qui editionem curavit, sic loquitur. *Vulgarem Bibliorum translationem tanta accuratatione contulimus cum veteribus exemplaribus, ut nihil jam omissum putemus, esseq; nostram translationem nunc primùm propè integram & illibatam, qualis ab ipso Interprete quondam scripta fuerat.* In Bibliis *Castalionis* anno 1554. editis extat, quamvis in margine adjiciatur. *Hec in quibusdam exemplaribus non habentur.* 2. *Versiones Germanicas* Anno 1471. Item Ann. 1477. ut & Ann. 1483. *Norinbergæ*, nec non Ann. 1518. *Augustæ Vindelicorum* edita sunt Biblia Germanica ex Latina versione translata, in utrisq; controversum illud dictum occurrit. (Priora duo exemplaria Ann. 1471.

D

&



& 1477. edita in Ratisbonensi; posteriora duo Anno 1483. & 1518. edita in nostra Jenensi Bibliotheca habentur.) In recentioribus Germanicis versionib. Witebergæ & Jenæ editis non amplius desideratur. Prætermitto versiones Tigurinorum Piscatoris & aliorum. 3. *versiones exoticas*. In Bibliis Gallicis Anno 1535. editis habetur, in margine tamen additur, *hæc non inveniri in veteribus quibusdam exemplaribus*. In Bibliis Hispanicis Anno 1579. in Bibliis *Sclavonicis* Witebergæ Anno 1584. impressis habetur, &c. Plura ad hanc & priorem argumentorum classem pertinentia ex vetustis Bibliorum editionibus benevolus lector colligere poterit.

3. *exscri-* 19. Tertiam argumentorum classem perimus *ex scripto-*
ptorū Ec- *rum Ecclesiasticorum allegatione*. Quemadmodum enim in
clesiastico- quæstione de libris Canonicis & Apocryphis meritò recurri-
rum alle- mus ad Ecclesiæ primitivæ Apostolorum temporibus vicina
gatione. testimonium & quos libros Scriptores Ecclesiastici vetustissi-
mi pro Canonicis habent ac testimoniis eorum tanquam Ca-
nonicis utuntur, illos in Scripturarum Canonicarum numero
jure censemus, non quod Ecclesia suâ autoritate Canonicum
aliquem librum facere possit, siquidem divina & Canonica
Scripturæ autoritas à solo Deo dependet, sed quod Ecclesia te-
stis locum obtineat & suo testimonio confirmet, qui libri sint
Canonici, quos sc. à sanctis Dei hominibus conscriptos à ma-
joribus accepit. Ita quoq; in quæstione de parte aliqua Scriptu-
ræ Canonice itidem recurrendum est ad vetustissimorum
Scriptorum fidem, ac dictum illud, quo ipsi tanquam Cano-
nico utuntur, meritò pro genuina Scripturæ Canonice parte
acceptatur, cum in homogeneis totius & partium eadem sit
Natura. Ex eo autem dicto aliquo tanquam Canonico uti co-
gnoscuntur, si quando autori Canonico illud tribuunt, dictis
Canonice Scripturæ reliquis jungunt & ad dogmatis ali-
cujus confirmationem ejus autoritatem afferunt, quia apo-
crypha leguntur & citantur *non ad dogmatum confirmationem,*
sed ad Ecclesiæ edificationem, ut loquitur Hieron. in præf. in lib.
Salom. & Ruffin. in expos. Symb. Jam verò dictum illud Jo-
hannis de tribus in cælo testibus Ecclesiastici Scriptores tan-
quam Canonicum ad dogmatum confirmationem adduxerunt.
Sanè

Sanè Georg. Blandrata in disp. Albana act. diei. 2. affirmare ausus fuit, *verba illa à nullo autore legi, unico Hieronymo excepto, quem parùm prudentem fuisse, Erasmus imitatus asserit, sed hac ipsa assertione Blandrata satis impudenter veritati contradicit.*

20. Allegant enim dictum illud Apostolicum. *1. In Adducunt secundo seculo Hyginus Episcopus Romanus, qui Anno Christi enim illud sti 154. ad Episcopatum euectus, & cui tribuitur institutum de 1. Hyginus. patrimis sive *ἐκδόχου* in Baptismo infantum adhibendis (Polyd. Virg. lib. 4. de rer. invent. cap. 4. & Centur. Magdæburg. 2. cap. 6. pag. III. eum vocant Iginum) Is in Epist. 1. ad omnes Christi fideles tom. 1. Conc. p. 120. edit. Bin. adductis compluribus Canonicae Scripturae testimoniis, quibus Filium Patri æqualem esse probat, tandem subjungit. *Johannes Evangelista ait. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Et iterum ipse ad Partbos. Tres sunt, inquit, qui testimonium perhibent in terra, Aqua, sanguis & caro. Et tres in nobis sunt, qui testimonium perhibent in cælo, Pater, Verbum & Spiritus, & hi tres unum sunt. Nos itaq; in Natura divinitatis, quia unum sunt Pater, Filius & Spiritus sanctus, nec Patrem aliquo tempore credimus præcessisse, ut major sit Filio, nec Filium postea natum esse, ut divinitate Patris minoretur. Interim tamen libenter fatemur, huic Hygini testimonio, si esset absque ceteris, parùm fortè roboris inesse, extat enim in Epistolis Decretalibus, quas frustra obnitente Franc. Turriano in libris pro earum defensione scriptis suspectas reddunt, primò styli qualitas & ratio. Ecquis enim sibi persuaderi patiatur à magnis illis viris, qui florentissimo linguæ Latinæ seculo vixerunt, Epistolas illas incongruas, barbaras & Solæcizantes esse profectas, sic enim loquuntur, *Episcopi sunt obædiendi, non sunt insidiandi, præsentem fraternam syllabam exposuimus, modernis temporibus Christianitatē suscepistis, inbronizare prætexatus modus caritative convenire, &c.* Quis credat eo tempore, quo Tertullianus, Cyprianus, Arnobius eleganter & eruditè de summis fidei mysteriis in Africa scribebant, ubi lingua Latina non erat ita pura, Episcopos Romanos in ipso mundi theatro & Latinæ linguæ arce tam barbarè scribere? Quinimò cum manifestum**



fit, unam eandemq; omnium illarum Epistolarum esse phrasin
& orationis compositionem, ideò non immeritò unus idemq;
omnium statuitur autor: fieri enim non potuit, ut tot diversi
Episcopi diversis seculis viventes unam eandemque phrasin &
stylum exprimerent, si vel ad superstitione usq; alii alios imi-
tari voluissent. Secundò *pratermissa harum Epistolarum in ve-*
teribus Scriptoribus allegatio. Neq; enim Eusebius, nec Hiero-
nymus curiosissimi antiquitatis exploratores, nec Damasus in
Pontificali earum meminerunt, cum tamen ex professo de re-
bus gestis Episcoporum Romanorum scripserint. Leo IV. qui
vixit Anno Christi 847. enumerans dist. 20. apud Grat. can. 1.
Pontificum decretales, quibus in omnib. Ecclesiasticis judiciis
utebantur, meminit tantum regularum Sylvestri, Siricii, In-
nocentii, Zozinii, &c. quod argumento est Epistolas nomine
Clementis, Aniceti, Soteris, Telesphori, &c. scriptas aut Leo-
ni fuisse ignotas, aut nullius apud ipsum & coetaneos ejus mo-
menti ac ponderis. Nic. Cusan. lib. 3. de concord. Cath. c. 2.
Si quis omnes illas Scripturas istis sanctis Clementi, Anacleto, &c.
attributas diligenter perlegeret & eorum tempora ad illa scripta
applicaret, ac deinde in opusculis omnium sanctorum Patrum, qui
usq; ad Augustinum, Hieronymum & Ambrosium fuere, ac etiam
de gestis Conciliorum, ubi authentica scripta allegantur, usum &
memoriam haberet, hoc inveniret verum, quia nec in illis omnibus
Scripturis de illis prefatis Epistolis mentio habetur, & etiam ipsa
Epistola applicata ad tempus eorum Sanctorum manifeste seipias
produnt. Hæc Cusani Hussitarum obliqui hostis infensissimi
ante annos plures quàm centum de illis Epistolis fuit judi-
cium. 3. *Temporum conditio.* Epistolæ illæ decretales nihil
quicquam magis urgent, quàm primatum Ecclesiæ Romanæ,
Episcoporum immunitatem & exemptionem, &c. cum tamen
constet primis sub seculis ob quotidianas persecutiones *par-*
vum respectum fuisse habitum ad Ecclesiam Romanam, ut loqui-
tur Æneas Sylvius, postea Pius II. Pontifex. Eadem mentio-
nem faciunt templorum, Missarum, sedis Romanæ, &c. quæ
appellationes illis Ecclesiæ temporibus nondum fuere usitatæ,
in citandis Scripturæ dictis sequuntur translationem Hierony-
mi, quam Pontifices illi, quibus decretales Epistolæ tribuun-
tur,

tur, nondum videre potuerunt. Cumq; id unum ferè Epistolæ illæ sibi propositum habeant, ut Pontificis Romani primatum stabiliant, sicut in hac ipsa Epistola Hyginus loquitur, *salvo in omnibus Ecclesiæ Romanæ privilegio nullus metropolitanus absq; ceterorum comprouincialium Episcoporum instantia aliquorum causas audiat, &c.* eccur luculenta illa testimonia non sunt prolata in Concilio Carthagenensi, in quo de primatu quæstio inter Patres Carthagenenses & Legatos Episcopi Romani agitabatur, cur Romani ad ementitum Niceni Concilii canonem confugissent, si in Epistolis illis decretalib. aliquam spem victoriæ habuissent repositâ, quæ omnia expendens Bellarm. libr. 2. de Pontif. Roman. c. 14. ait, *se non negare, aliquos errores in has Epistolas irrepisse, neq; audere indubitas illas esse asserere,* ac Baron. tom. 2. annal. ann. 102. sect. 7. scribit, *se consulto cum agendum nobiscum de Ecclesiasticis controversiis ab illarum Epistolarum citatione abstinere, ne unis his armis indigere credatur, quorum acies nostris objectionibus retusa videri possit.* Vide etiam tom. 9. ann. 865. sect. 5. 6. & 7. ubi vocat *dubias, adventitias & recens inventas.* Vide Cent. Magdeb. 2. c. 8. Witakerum de Pont. Rom. contr. 4. q. 5. Andr. Rivetum in Critico sacro lib. 1. c. 8.

21. Hygini igitur testimonio, quod parum *uyses*, fortè aliquis dixerit, non multum tribuimus, sed alios ei adjungi- 2. *Cyprianus* mus ex antiquitate Scriptores. 2. In tertio enim seculo occurrit *nus.* Cyprianus Carthagenensis Presbyter Martyr Christi sanctissimus, qui sub Valeriano & Galieno Anno Christi 260. Carthagini obtruncatione capitis Martyrium subiit, relictis post se scriptis piis & eruditis, de quo August. lib. 2. contra Crescon. Gramm. cap. 32. *Cypriani laudem ego consequi non valeo, ejus multis literis mea scripta non comparo, ejus ingenium diligo, ejus ore delector, ejus caritatem miror, ejus Martyrium veneror.* Is ergo in libr. de simpl. prælatorum sive de unitate Ecclesiæ non longè à principio p. 164. sic habet. *Dicit Dominus, ego & Pater unum sumus. Et iterum de Patre, & Filio & Spiritu sancto scriptum est. Et tres unum sunt. Et quisquam credit hanc unitatem de divina firmitate venientem, Sacramentis cœlestibus coherentem, scindi in Ecclesia posse & voluntatum collidentium divertio*



Separari! Quamvis verò in Cypriani scriptis multa extant non solum dubia, sed etiam supposititia, tamen de hoc tractatu nemo unquam dubitavit, quin sit verus & genuinus Cypriani fœtus, id quod styli cum reliquis ejus operibus conformitas manifestè testatum facit. Gelasius quidem in Concilio Romano c. sancta Romana dist. 15. *Cypriani opera* retulit inter *apocrypha*, sed hoc accipiendum de illis tractatibus, in quibus ab hæreticis baptizatos baptizandos esse docet. Perkinsus in *ement. Roman. fid. Cathol. ac Rivetus in Critico sacro libr. 1. cap. 14. p. 230. ut & Rainold. in Colloq. cum Harto cap. 5. sect. 2. p. 112. ex Th. Jamesii catalogo* notarunt quædam, in quibus tractatus ille Cypriani de simpl. Prælatorum. (in quo Monarchia Papalis funditur destruitur) adjectis quibusdam sententiis ad primatum stabiliendum corruptus sit. Possevinus etiam in Apparatu in tit. *Cyprianus* edidit elenchum eorum, quæ in hoc opusculo Cypriani sunt vel addita vel detracta vel lapsu Typographi, vel alio prorsus modo supposita è diligenti quatuor Manuscriptorum exemplariorum collatione cum duab. postremis & ultimis editionibus, in quo elencho additiones, detractiones & variationes complures recenset, sed de his verbis nullum injicit scrupulum.

3. Athanasius.

22. 3. In quarto seculo dicti hujus mentionem facit Athanasius magnum illud *veritatis propugnaculum*, ut eum vocat Theodor. lib. 1. Hist. Eccles. cap. 8. qui sub Valente Imp. Anno Christi 378. ad Dominum migravit teste Hieron. de script. Eccles. Is tribus in locis controversum hunc versiculum adducit. Primus extat in disputat. contra Arium in Synodo Niceno privatim habita sub finem tom. 1. pag. 109. edit. Commelin. *Nonne (inquit) & remissionis peccatorum vivificum & sanctificum lavacrum (τὸ τῆς ἀφέσεως τῶν ἁμαρτιῶν παρηκτικὸν καὶ ζωοποιὸν καὶ ἁγιατικὸν λουτρὸν) sine quo nemo visurus est regnū cælorum in trina nominatione fidelibus tribuitur? insuper præter ista omnia Johannes dicit, & hi tres unum sunt.* Huic Athanasii testimonio plurimum tribuit Fr. Junius, qui in animadv. in Bellarm. contro. 1. libr. 1. cap. 16. num. 7. pag. 441. scribit. *Arius ipse, cum Athanasius hunc locum adduceret, non rejecit auctoritatem illius, ut videre est sub finem illius disputationis, que*
contra

contra Arium privatim Nicæa fuit ab ipso habita, quin potius victas
dedit manus, gratias dicens ago sanctæ Trinitati, adoroq; Patrem
& Filium & Spiritum sanctum. Sed Bellarm. libr. de script. Ec-
cles. p. 114. statuit, non facile judicari posse, utrum hæc fuerit ve-
ra disputatio, an dialogus conscriptus in persona Athanasii & ali-
cujus Ariani, & utrum sit ab Athanasio, an verò ab alio scriptus?
unde libr. 1. de Christo cap. 6. in resp. ad 11. non sub Athanasii,
sed alterius nomine hanc disputationem allegat. Baron. tom. 3.
annal. Anno 325. sect. 51. itidem dubitare videtur. Fertur, in-
quit, disputatio quædam inter Athanasium & Arium habita in
Niceno Concilio relata inter commentarios Athanasii, sed ejus
præfatio docet, eam seorsum potius quam in Concilio habitam, &
cum nulla prorsus sit ibi mentio de Niceno conventu nequaquam
Nicæa habita esse creditur. Rursus verò cum in ipsa Arius apertè
impugnet divinitatem Spiritus sancti eam creaturam pariter no-
minans, Arius potius homo quam Arius esse convincitur. Nam
ea Sanctorum Patrum sententia est, nihil expressius de divinitate
Spiritus sancti, sicut de Filio in Niceno Symbolo propositum esse,
quod nulla eâ de re ab Ario questio mota esset. Quod si ejus divi-
nitatem Arius impugnasset, nequaquam sanctissimi illi prætermi-
sissent illam disertis verbis testatam, in omnibusq; perspectam,
defensamq; a cunctis adversarii objectionibus reddere, cum accu-
ratissime id præstare conati sint de divinitate Filii, quam tantum
Arius impugnabat. Certè quidem ipse Athanasius in Epistola
priori ad Serapionem scripta, ejusmodi in Spiritum S. blasphemias
prodiisse tradit ab Arianis successoribus potius quam ab ipso Ario,
subinducta autem videtur in ea disputatione persona Arianorum potius
quam ipse Arius Athanasio credere nescius, qui ibi dicitur Atha-
nasio consensisse. Hæc Baronius. Ergò quod in præfatione il-
lius disputationis dicitur, eam habitam in Synodo Nicena Anno
310. id corrigendum, cum Synodus anno 325. fuerit habita &
nomine Arianorum intelligendus aliquis Arianorum discipulus, sic enim di-
citur p. 83. in ipsa disputationis relatione. *Derepente ex radice
Christo inimici Arianorum bellua sub humana specie ad nos insiluit, &c.*

23. Secundus locus Athanasii, in quo mentionem facit
dicti nostri, extat lib. 1. ad Theophilum de unita Deitate Trini-
tatis non longè ante finem tom. 2. col. 399. Postquam enim
ibi

ibi adduxisset classicum illud testimonium Matth. 28. vers. 19. *Euntes baptizate omnes gentes in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti*, subjungit: *Quamvis in superioribus exemplis Scripturarum tacita sint nomina personarum, tamen unitum nomen divinitatis per omnia est in his demonstratum, sicut & in hoc exemplo veritatis, in quo nomina personarum evidenter sunt ostensa & unitum nomen naturale clausè est declaratum dicente Johanne Evangelista in Epistola sua. Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum & Spiritus, &c.* Tertius locus habetur libr. 7. ad Theoph. tom. ejusd. col. 432. *Cur tres unum sunt Johannem Evangelistam dixisse legitis, si diversas Naturas in personis esse accipitis.* Quan. vis verò libri illi ad Theophilum non videantur esse Athanasii, tum *propter stylum*, qui eos Latinè scriptos non ex Græco versos arguit, quia autor aliquoties significat, quo modo apud Græcos dicantur, quæ ipse Latinè scripsit, tum *propter temporum rationem*, refellit enim hic autor Urbicum Eunomii discipulum, at verisimile non est Athanasium confutare potuisse discipulum Eunomii, cum ipsum Eunomium nō Athanasius, sed Basilius Athanasio junior, primus confutaverit, tamen dubitari nequit, scriptum hoc esse autoris vetustioris, Athanasii temporibus proximi, id quod contentorum & temporum consideratio probat.

24. 4. In eodem seculo dicti nostri meminit *Idacius*, vel ut alii scribunt *Ithacius Clarus Lemices* in Hispania Episcopus, qui circa Annum Christi 380. sub Theodosio floruit, (quamvis Coccius & Genebrardus ad quintum seculum eum referant) Scripsit is libros tres adversus Varimandum, vel ut alii scribunt Varimadum, quæ extant tom. 4. Biblioth. Patrum & in Hæreseolog. edita Basileæ Anno 56. ubi p. 257. contra Arianos sic disputat. *Johannes Evangelista ait: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Item ipse ad Parthos. Tres sunt, inquit, qui testimonium perhibent in terra, aqua, sanguis & caro. Et tres in nobis sunt. Et tres sunt, qui testimonium perhibent in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus, & ii tres unum sunt.* Adducit Idacius dictum illud iisdem omninò verbis, quibus in Hygini Epistola legitur, ubi neminem turbet, quod Epistola illa Johannis dicatur *ad Parthos* scripta,

scripta, cùm hodiè in nostris Codicibus vòcetur *Catholica*, nam & Augustin. in qq. Evangel. lib. 2. cap. 39. ante med. itidem testatur, hanc Epistolam à Johanne ad Parthos fuisse missam, sic scribens. *Dictum est à Johanne in Epistola ad Parthos. Dilecti nunc filii Dei sumus & nondum apparuit, quod erimus*, quæ verba in tertio huius Epistolæ capite leguntur.

25. 5. In eodem seculo habemus *Hieronymum*, quem hujus *Hieron.* jus dicti Canonicam autoritatem asserere fatentur Erasmus, Blandrata & alii qui de eo dubitant. Regerunt Photiniani, *Hieronymum fuisse hostem AntiTrinitariorum, proinde non posse illum in testimonium adduci.* Goslavus contra Keckerm. part. 1. cap. 5. p. 52. *Præjudicata opinio poterat in hanc sententiam abripere Hieronymum, quare non facile illi fides est adjungenda, utpote capitalissimo hosti sententiæ de Deo nostræ.* Socin. in comm. 1 Joh. 4. p. 416. impudentissimè asserit, *Hieronymum malâ fide egisse. Fortasse (inquit) ante Hieronymum vix ullus invenietur, qui testimonium illud hoc in loco planè agnoverit. Sed Hieronymus, ut is, qui ut rectè de eo Erasmus alicubi scribit, non satis prudenter sæpè ad victoriam & ad causæ suæ defensionem & favorem multa traherat, nactus fortè exemplar aliquod, aut etiam plura exemplaria, in quibus particula ista ita fuerat adjecta, ut fraus animadverti non posset, adversas fidem aliorum omnium exemplarium tam Latinorum quàm Græcorum lectionem particula istius tanquam Germanam defendere & promovere cœpit, conquerens publicè eam culpâ & fraude hæreticorû abrasam à vulgatis Codd. fuisse.* Sed resp. 1. Goslavi poterat & Socini fortasse trepidantem illorum hominum conscientiam arguit. 2. axioma illud, quod *hosti non sit habenda fides*, suas habet limitationes, quod ne ipse quidem Goslavus negaverit, quandoq; enim ab hoste veritati testimonium datur, quo à quibusdbm refertur illud Mosaicum Deut. 32. v. 31. *Etiam inimici nostri iudices.* 3. Hieronymus de infidelitate Latinorum translatorum publicè conqueritur, utiq; ergò infidelitas illa fuit notoria & manifesta, neq; enim quisquam hoc nomine Hieronymum redarguit. 4. etiam alios præter Hieronymum hoc testimonio fuisse usos ex dictis constat. 5. si hostibus Arianorum & Photinianorum fides deroganda, non solùm sanctissimis Patribus, sed ipsis etiam

E. Apo-



Apostolis non erit fides habenda, quippe qui omnes Arianæ & Photinianæ incredulitatis capitales hostes fuerunt. 6. Sic ergo procedimus. Constat, quod in teste ad veritatis præsumptionem requirantur duo, *scientia & conscientia*. Utrumque in Hieronymo fuisse, ex aliis ipsius scriptis constat, quod enim diligens fuerit Codicum Biblicorum explorator, probatn ova illa, quam adornavit, versio, quod fuerit sedulus pietatis cultor, plurimæ apud ipsum sententiæ testantur, utrumq; autem vel alterutrum ipsi defuisse, Photiniani nondum demonstrarunt.

6. *Victor Uticensis.* 26. 6. Ex quinto seculo adducimus *Victorem Uticensem* in Africa Episcopum, qui sub Zenone Imperatore circa ann. 490. floruit. Is sub finem libr. 2. de perfec. Vand. confessionem fidei Catholicæ exponit, in qua Eugenius Carthaginensis sic loquitur. *Ut adhuc luce clarius unius divinitatis esse cum Patre & Filio Spiritum sanctum doceamus, Johannis Evangelistæ testimonio comprobatur, ait enim: tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum & Spiritus S. & hi tres unum sunt. Nunquid, ait, tres differenti equalitate sejuncti, aut quibuslibet diversitatum gradib. longo intervallo divisi? Sed tres, inquit, unum sunt.* Quidam hunc librum continentem expositionem fidei Catholicæ tribuunt alii cuidam Victori Africano, circa ann. 530. cujus scriptum extat tom. 4. Bibliothec. Patrum edit. 2.

7. *Fulgentius.* 27. 7. Ex sexto seculo producimus *Fulgentium Ruspensem* in Africa Episcopum, qui floruit tempore Thrasymundi Regis, cui libros suos inscripsit circa annum Christi 504. Is in responsione ad objecta Arianorum, quæ extat in Hæreseolog. Basil. ann. 56. edita pag. 47. sic scribit. *In Patre, Filio & Spiritu sancto unitatem substantiæ accipimus, personas confundere non audemus. Beatus enim Johannes Apostolus testatur dicens: Tres sunt, qui testimonium perhibent in cælo, Pater, Verbum & Spiritus S. & hi tres unum sunt.* Postea provocat ad Epistolam Cypriani de unitate Ecclesiæ, in qua hic ipse locus

8. *Johannes Episc. Romanus.* habetur. 8. In eodem seculo Johannes II. Episcopus Romanus circa ann. 531. scripsit Epistolam ad Valer. Episcopum, quæ extat tom. 2. Concil. edit. Bin. p. 403. in qua demonstraturus, *Christum Dominum secundum Deitatis Naturam Patri æqualem,*

se-

dam adjiceretur, quæ textui congruere quidem visa, nondum tamen esset Canonica, quia scilicet destitueretur requisitis reliquis ad librum Canonicum vel partem libri Canonici constituendam necessariis, ideò dicimus, talem sententiam quæ textus connexioni congruit, non esse pro supposititia & adjicitia habendam, nisi contrarium evidentissimis argumentis demonstratur, hoc est, nisi manifestè proberur, deesse illi sententiæ requisita reliqua ad Canonicæ Scripturæ integritatem necessaria. Minoris confirmatio pendet ex consideratione scopi & connexionis in textu Apostolico. Scopus est vel generalis totius Epistolæ, vel specialis quinti illius capituli.

Scopus Epistolæ generalis.

29. Generalem Epistolæ scopum quidam statuunt unicum, ad hortationem scilicet ad sanctæ vitæ studium, sed res ipsa ostendit, duplicem potius Apostolo propositum fuisse scriptio- nis scopum. Prior est veræ de Christo Salvatore doctrinæ confirmatio. Posterior ad pietatem & vitæ sanctitatem adhortatio. Nimirum Apostolus hoc voluit demonstrare, *illos demum esse verè Christianos, qui veram de Christo doctrinam imbuti fidem suam dilectione & vitæ sanctitate exprimunt*, cumq; duæ sint Christianismi pestes, corruptelæ scilicet doctrinæ & vitæ, ideò utrisq; scriptio- nem hanc suam Apostolus opponit. De posteriore scopo res est expedita. Verùm non posteriorem tantum, sed etiam ac cum primis priorem illum, quem diximus, scopum fuisse Apostolo propositum demonstramus. *in genere ex Apostolici officii ratione.* Apostolorum officium est de Christo testificari, doctrinam de Christo prædicare, confirmare & inculcare, ut constat ex sequentibus dictis Joh. 15. v. 27. inquit Christus ad Apostolos, *Vos testimonium perhibebitis de me.* Act. 1. v. 8. *eritis mihi testes in Jerusalem, & in omni Judea & Samaria & usq; ad fines terræ.* Act. 10. v. 41. inquit Petrus. *Deus Christum ex mortuis resuscitatum manifestum fecit non omni populo, sed testibus præordinatis à Deo, &c.* v. 42. *& præcepit nobis prædicare populo & testificari.* Hoc testificandi officium non solum vivâ voce, sed etiam scriptis perficere debuerunt. Joh. 21. v. 24. *Hic est discipulus, qui testimonium perhibet de his & scripsit hæc, & scimus quia verum est testimonium ejus.* Apoc. 1. v. 2. *Johannes testimonium perhibuit verbo Dei & testimonio Jesu Christi ver. 3.*
Beatus

ostendit eis manus & latus videnda scil. ac palpanda, ut ex Luc. 24. v. 39. colligitur. 1. Joh. 1. v. 1. quod manus nostræ contrectaverunt. 2. In progressu de beneficiis Christi tractat, quod sanguis ejus, utpote Filii Dei sanguis emundet nos ab omni peccato. 1. Johan. 1. v. 7. quod sit noster Advocatus apud Patrem 1. Johan. 2. v. 1. & propitiatio pro totius mundi peccatis v. 2. quod propter nomen ejus remittantur nobis peccata v. 12. Dehortatur etiam ab Antichristis ac Pseudodoctoribus, quos sic describit, quod negent Jesum esse Christum v. 22. quod non confiteantur Jesum Christum, qui in carne venit. 1. Joh. 3. vers. 3. hoc est, quod sanam & orthodoxam de persona, officio & beneficiis Christi doctrinam corruperint, quibus opponit veram de Christo confessionem, quod sit Filius Dei & Salvator mundi. 1. Johan. 4. v. 14. & 15. quod in carne venerit vers. 2. Cum primis verò probè notandum, quod ipsemet Apostolus in cap. 3. v. 23. sicq; in ipso hujus Epistolæ meditullio duplicem illum scopum proponat. Hoc est, inquit, mandatum Dei, ut credamus nomini Filii ejus Jesu Christi & diligamus alterutrum, sicut mandatum dedit nobis, ex quo dubio procul petitum illud Ignatii Epistola 7. τὸ ὅλον πίστις ἢ εἰς Θεὸν καὶ ἀγάπη πρὸς τὸ ὁμόφυλλον. Fuit enim Ignatius discipulus Polycarpi, Polycarpus verò Johannis, à quo hæc sententia profecta cum verbis illis Apostoli exactè congruens. Quemadmodum igitur ex centro in medio posito omnes lineæ progrediuntur, & omnes ad illud vicissim tendunt, sic hæc verba in medio Epistolæ posita sunt veluti centrum, ad quod omnia, quæ in tota Epistola proponuntur, unicè tendunt, vel enim continent doctrinæ de Christo & fidei in Christum confirmationem, vel ad dilectionem & pietatis studium adhortationem. 3. In clausula hujus Epistolæ expressam prioris scopi mentionem facit Apostolus. Hæc scripsi vobis credentibus in nomen Filii Dei, ut sciatis, quia vitam æternam habetis, & ut credatis in nomen Filii Dei. 1. Johan. 5. vers. 13. & scimus quia Filius Dei venit & dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, & simus in vero, in Filio ejus Jesu Christo, hic est verus Deus & vita æterna. Ac potest itidem collatio institui inter clausulam hanc Epistolicam & inter clausulam Evangelicam Johan. 20. v. 31. Hæc scripta sunt, ut credatis, quod Jesus sit

fit Christus Dei Filius & ut credentes vitam habeatis in nomine
ejus. Ex quibus omnibus sic concludimus. 1. In cujuscunque
scripti exordio progressu & clausula doctrina de Christo vero
Dei Filio & mundi Salvatore proponitur, asseritur & confir-
matur, ab illius scopo non potest nec debet excludi doctrina
de Christo vero Dei Filio & mundi Salvatore assertio & con-
firmatio. Jam verò in exordio progressu & clausula hujus
Epistolæ doctrina de Christo Dei Filio & mundi Salvatore
proponitur & inculcatur. Ergò illius doctrinæ assertio non
potest à scopo hujus Epistolæ excludi. 2. Quorum scriptorum
idem exordium, eadem materia, eademque clausula, illorum
quoque idem scopus. Sed Evangelii & Epistolæ Johannis idem
exordium, eadem materia, eademque clausula. Ergò etiam
idem scopus, doctrinæ scilicet de Christo vero Dei Filio &
mundi Salvatore assertio. Ubi tamen monendum, in Epistola
Johannis ad hunc scopum priorem accedere etiam alterum,
videlicet adhortationem ad dilectionem & studium pietatis,
ut ex ipsa ejus *ἐλεγχου* constat. 3. In quocunque scripto contra
Antichristos sinceritatem doctrinæ de Christo vero Dei Filio
& mundi Salvatore corrumpentes ex professo disputatur, ab
illius scripti scopo non potest excludi veræ de Christo doctri-
næ assertio. Sed in hac Epistola Johannis disputatur contra
Antichristos sinceritatem doctrinæ de Christo corrumpentes.
Ergo.

31. 2. *Ex temporum illorum conditione.* Quamvis enim
exactè sciri non possit, quo præcisè anno Epistolam hanc Jo-
hannes scripserit, omnes tamen probati Scriptores confen-
tiunt, post Evangelicam Historiam Epistolam illam esse exa-
ratam ac tempore quidem eo, quo *multi* jam facti erant *Anti-*
christi. 1. Johan. 2. v. 18. ac *multi Pseudo-Prophetae exierant in*
mundum 1. Johan. 4. v. 1. quibus Johannem & voce & scriptis
obviare ire voluisse dubium nullum. Quæ autem fuerit illo-
rum Antichristorum & Pseudoprophetarum hæresis, colligi-
tur ex opposita Johannis doctrina, quia contra illos Antichri-
stos credendum docet, *quod Jesus Christus venerit in carne, &*
quod sit Dei Filius & verus Deus cap. 4. v. 2. cap. 5. vers. 20. &c.
ergò Antichristi illi negarunt, vel veram Christi humanita-
tem

tem vel veram ejus divinitatem. Ad priorem classem pertinet *Basilides*, qui referente Epiphani. libr. 1. tom. 2. hæres. 24. pag. 58. docuit, *Christum esse phantasmam in eo, quod apparuit, non autem esse hominem neq; carnem suscepisse*. Ad posteriorem classem referendi sunt Ebion & Cerinthus, qui referente eodem Epiphaniõ hæres. 28. & 30. *Christum tantummodo hominem esse dixerunt, non autem verum Deum*. Utrisque igitur Johannes in hac Epistola sese opponit, ac Christum in personæ unitate verum Deum & hominem agnoscendum esse, & à pestilentissimis Antichristorum illorum erroribus cavendum esse docet. Atq; hic prior est scriptio hujus Epistolice scopus, alter est exhortatio ad dilectionem & studium pietatis. Erant enim in Ecclesia hypocritæ, qui existimabant nudam fidei de Christo professionem sufficere, si vel maximè nulla sequatur vitæ emendatio, nec exerat se fraterna proximi dilectio, contra eos graviter disputat Apostolus, ac veræ in Christum fidei Naturam describit, quod scilicet efficax sit per dilectionem erga proximum & inducat odium peccati, quâ de re præclarè scribit Lutherus in præfat. hujus Epist. in Bibliorum Codice eidem præfixa. *Hæc Epistola (inquit) pugnat tum contra eos, qui planè absq; operibus esse cupiunt in fide, tum contra eos, qui operibus desiderant justificari, ac conservat nos in via media, ut per fidem queramus justificari & à peccatis absolvi, & postmodum fide justificati dilectionem Spiritu spontaneo exerceamus, &c.* Quemadmodum ergo ex Historia illorum temporum rectè colligitur, scopum Evangelii à Johanne scripti esse, assertionem divinitatis Christi contra Ebionem & Cerinthus, quod unanimi consensu veteres confirmant. Iren. lib. 3. adv. hæres. cap. 11. p. 157. Epiphani. d. 1. Hieronym. in prolog. in Johan. Evang. Theoph. in prol. Johan. p. 215. &c. & res ipsa satis evidenter testatum facit, ita quoque hanc ipsam assertionem veræ de Christo doctrinæ, cum primis etiam divinitatis Christi non posse à scopo Epistolæ Johannæ excludi eadem temporum. Historia cum illis, quæ in Epistola continentur, pio studio collata satis perspicuè manifestum facit. Ex hoc igitur generali totius Epistolæ scopo ꝑ confirmatione Minoris propositionis in principali argumento, talem nectimus

mus consequentiam. Quæcunq; sententia veram de Christo doctrinam, quod scilicet sit promissus Messias verus Deus ac verus homo vel maximè confirmat, ea generali hujus Epistolæ Johanniticæ scopo exactissimè congruit. Sententia de tribus in cælo testibus veram de Christo doctrinam, quod scilicet sit promissus Messias verus Deus & verus homo vel maximè confirmat. E. ea generali hujus Epistolæ scopo exactissimè congruit & per consequ. nõ est supposititia vel adjectitia habenda.

32. *Specialem* capitis quinti scopum revocamus ad doctrinam de vera in Christum fide. Ejus proponit 1. *salutarem pitis quinfructum*. 2. *immobile fulcrum*. 3. *pestilens deleterium*. *Salutares et specialis* fidei fructus & effectus sunt multiplices, quos divinis verbis Apostolus exponit, tales sunt 1. *Spiritualis regeneratio* v. 1. 2. *Dei & proximi dilectio* v. eod. 3. *mandatorum divinatorum observatio* v. 2. 4. *de mundo triumphatio* v. 4. 5. *vite æternæ hereditatio* v. 13. 6. *ardens Dei invocatio* v. 14. 7. *de exauditione confirmatio* v. 15. 8. *pro fratribus intercessio* v. 16. 9. *peccatorum contra conscientiam evitatio* v. 18. 10. *salvifica Dei agnitio* v. 10. Fulcrum fidei illius, quæ credimus Christum esse Dei Filium proponitur à vers. 6. usq; ad 13. quod sc. fides illa ipsius Dei testimonio tanquam immobili & plusquam certissimo fundamento innitatur. *Si testimonium hominum accipimus* (inquit) *testimonium Dei majus est, quia hoc testimonium Dei, quod testificatus est de Filio suo.* Pestilens deleteriũ veræ fidei contrarium duplex proponitur 1. *voluntaria contra conscientiam peccata*, per quæ veram fidem amitti manifestissimis Scripturæ dictis & exemplis etiam alibi demonstratur. v. 18. *Scimus, quia omnis, qui natus est ex Deo, non peccat, sed genitus ex Deo servat & custodit seipsum, sollicitè & malignus ille non tangit eum.* 2. *Idololatria*, quo nomine non solum exterior ille simulachrorum cultus, qui crassiorum idololatriæ speciem constituit, sed etiam hæreses & quosvis falsos ac idololatricos cultus etiam interiores intelligi demonstravimus in tract. de Lege §. 79. & bonis operibus. §. 9. ex hoc speciali quinti capitis scopo tale nectimus argumentum. Quæcunq; sententia scopo alicujus capitis Biblici exactissimè congruit, ea non est pro supposititia & adjectitia illius capitis parte habenda. Sed sententia de tribus in cælo

F

testibus

testibus scopo huius quinti capituli exactissime congruit, quatenus scilicet divinum illud testimonium, quod tres in caelo testes Christo Jesu dant ad immobile fidei fulcrum vel maxime pertinens exponit. Ergo sententia illa non est pro supposititia & adjectitia illius capituli parte habenda.

Connexio
capituli
quinti.

33. Idipsum ex *connexione* textus erit manifestius. Docet Apostolus firmiter nos credere posse ac debere, quod *Jesus sit Christus v. 1. Dei Filius v. 5.* quia divino testimonio hac doctrina de Christo stabilitur & confirmatur. Antequam vero connexionem argumenti probantis cum ipsa quaestione probanda ostendamus, necessarium prius explicandum est quaestionis praedicatum quid scilicet in eo contineatur. Credere quod *Jesus sit Christus* sive Messias in V. T. promissus, in N. exhibitus, tria potissimum complectitur. 1. Credere, quod Jesus ex Maria virgine natus, & per Apostolos praedicatus sit *verus Dei Filius*, id in praedicatione illo contineri clarissimis verbis docet Apostolus, cum enim dixisset v. 1. *Omnes qui credit, quoniam Jesus est Christus ex Deo natus est*, subjicit v. 4. *Omne quod natum est ex Deo, vincit mundum, & haec est victoria, quae vincit mundum, fides nostra v. 5. quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit, quoniam Jesus est Dei Filius?* Ergo credere quod Jesus sit Christus complectitur hoc ipsum credere, quod Jesus sit Dei Filius. Argumentum potest esse tale. Omnes & soli illi vincunt mundum, qui credunt, quod Jesus sit Dei Filius, quae propositio colligitur ex particula exclusiva *si non* vers. 5. At qui credit, quod Jesus sit Christus, vincit mundum, (est enim *ex Deo natus*, jam vero *omne quod natum est ex Deo, vincit mundum*) Ergo qui credit, quod Jesus sit Christus, ille etiam credit, quod Jesus sit Dei Filius. Idipsum comprobatur ex omnibus & singulis V. ac N. T. dictis, quae divinam Naturam in Messia describunt. 2. Credere, quod Jesus Dei Filius ab aeterno a Patre genitus, & ex virgine in tempore natus sit etiam *verus homo*. Id in praedicatione illo contineri itidem testatur Apostolus, non solum in principio Epistolae, quando *vitam in carne manifestatam oculis Apostolorum visam & manibus eorum contractatam* asserit cap. 1. v. 1. & 2. sed etiam quando Spiritum Dei a Spiritu Antichristi hoc est, veros Doctores a falsis hac ratione distinguit, quod

omnis

omnis Spiritus, qui confitetur Jesum Christum, qui in carne venit
sit ex Deo, cap. 4. v. 2. & vicissim, quod omnis Spiritus, qui non
confitetur Jesum Christum *ὅτι σαρκὶ ἐληλυθότα* non sit ex Deo, sed sit
Spiritus Antichristi v. 3. Quamvis verò phrasis illa *τὸ confiteri*
Jesum esse Christum, qui in carne venit, complectatur totam de
persona & officio Christi doctrinam, ut ex ipsa in textu Apo-
stolico oppositione, ex scopi in v. 1. propositi consideratione,
& ex usitata hujus phraseos significatione Johan. 20. v. 31. in
prælectionibus Anti-Photinianis demonstravimus: quamvis
etiam differentia, quædam sit inter has phrases venire *ὅτι σαρκὶ*,
& venire *εἰς σάρκα*, ut Lyra rectè observavit, venit enim Dei Fi-
lius in carnè Natur. hum. assumendo, venit Christus in nascen-
do, crescendo, docendo, patiendo, moriendo, resurgendo,
&c. ut sic hac phrasi *dies carnis Christi* Heb. 5. v. 7. hoc est, ejus
in terris conversatio & tota salutis œconomia à Christo susce-
pta & in diebus carnis consummata, ad quam pertinet totus vi-
tæ cursus, quem Christus in his terris exegit, & omnes officii
partes, quas mandato Patris absolvit, describantur (quò minùs
enim cum aliis statuamus *εἰς σάρκα* hîc poni pro *ὅτι σαρκὶ*, sicut v.
9. Filius dicitur missus *εἰς τὸν κόσμον*, obstat præter alia etiam il-
lud quod subjecti loco ponitur nomen personæ *συνδέτε* *Jesus*
Christus) negari tamen nequit, *τὸ venire ὅτι σαρκὶ* præsupponere
ac necessariò hoc prærequirere, quod Filius Dei venerit *εἰς σάρ-
κα* & verè humanam Naturam susceperit. Idipsum confir-
mant reliqua V. & N. T. dicta, quæ Christum *semen Abrahæ*,
semen Davidis, *germen ventris*, adeoq; *verum hominem* esse te-
stantur. 3. Credere, quòd Jesus ille verus Deus & verus homo
sit etiam noster *Mediator*, *Redemptor* & *Salvator*, qui sanctissi-
mâ suâ obœdientiâ & plenissimâ satisfactione perfectam justiti-
am & vitam æternam nobis acquisiverit. Et hoc est quod
aliàs dicitur veram & justificantem fidem complecti non so-
lùm notitiam & assensum, sed etiam fiducialem Christi appre-
hensionem & specialem beneficiorum ejus in verbo Evangelii
oblatorum applicationem. Patet id ex prædicatis, quod Apo-
stolus fidèi, quâ credimus Jesum esse Christum hoc loco tri-
buit, utpote q̄ per eam *regeneremur* v. 1. *vincamus mundum* v. 4.
& *vitam obtineamus æternam* vers. 13. ex quo nascitur tale



argumentum. Per τ^o credere Jesum esse Christum talis fides describitur, per quam credens ex Deo nascitur, mundum vincit, & vitam æternam obtinet. Atqui per nudam notitiam Historicam credens nec ex Deo nascitur, nec mundum vincit, nec vitam æternam obtinet, sed requiritur ut accedat fiducialis Christi apprehensio & specialis beneficiorum ejus in verbo Evangelii oblato applicatio. Ergo per τ^o credere Jesum esse Christum, non intelligitur nuda notitia Historiæ, sed quæ sit conjuncta cum fiduciali apprehensione & speciali applicatione. Idem colligitur ex v. 10. *Qui credit in Filium Dei, testimonium habet in seipso.* Per τ^o credere Jesum esse Christum talis intelligitur fides, quæ credimus in Filium Dei & interius testimonium de gratia Dei in corde sentimus. Atqui nuda Historiæ notitia non efficit, ut propriè & accuratè loquendo credere dicamur in Filium Dei & interiùs testimoniù de gratia Dei in corde nostro sentiamus, sed ad illud requiritur fiducialis apprehensio, quæ Christum recipimus Iohan. 1. v. 12. ut in nobis per fidem illam habitet Ephes. 3. v. 17. Vide tractat. de Iustificat. tom. 3. Locorum §. 71. & seqq. ubi demonstratum fuit, fidem justificantem esse fiduciam, & §. 129. ubi demonstravimus proprium & adæquatum fidei justificantis effectum esse Christum cum suo merito & beneficiis in verbo Evangelii oblatis.

34. Nemini ergo dubium esse potest Apostolum per τ^o credere Jesum esse Christum tria illa complecti, quod vera fides firmiter statuere debeat, Jesum esse verum Deum ac verum hominem, eundemq; esse nostrum Mediatorem, Redemptorem & Salvatorem, id quod ex ipsis textus visceribus fuit demonstratū. Unde etiam hac in prasi totum verè in Christum fidei mysterium *συνόμωσ* comprehenditur Iohan. 20. v. 31. Act. 18. v. 5. &c. Cumq; sequentia eò unicè spectent, ut verè credentes in fide illa, quòd Iesus sit Christus, confirmentur, ideò eorum explicatio necessariò instituenda est modo eo, ut ad trium illorum capitum, quæ de Christo credenda esse diximus, confirmationem referantur, hunc enim scopum ostendit Apostolus, quando exposito fidei illius fulcro divino scilicet testimonio, subjungit vers. 9. *Si testimonium hominum accipimus, testi-*
monium

monium Dei majus est, & proinde etiam magis acceptandum. Ut autem tria in fide illa, quâ credimus, quod Iesus sit Christus, continentur, ita quoque tria ad ejus confirmationem Apostolus adducit. Primò dicit, *Christum esse eum, qui venit per aquam & sanguinem, non in aqua tantum, sed in aqua & sanguine ac Spiritu testificari, quod Spiritus sit veritas* v. 6. Secundò inquit, *tres esse testificantes in cælo, Patrem scilicet Verbum & Spiritum sanctum, ac hosce tres esse unum* v. 7. Tertiò dicit, *tres esse testificantes in terra, Spiritum scilicet aquam & sanguinem, & hos tres esse in unum* v. 8.

35. Per tres in cælo testes, tres divinitatis personas Patrem, Filium & Spiritum sanctum intelligendas esse omnes Orthodoxi, qui locum illum tanquam genuinum acceptant, unanimi consensu fatentur, id quod inferius contra Photinianos id negantes latius demonstrabitur, sed quid per aquam, sanguinem & Spiritum intelligatur, in eo explicando variant non veteres solùm, sed etiam recentiores Interpretes. Quidam enim referunt ad personam, quidam ad beneficia Christi. Qui ad personam eorum, aliqui ad humanitatem, aliqui ad divinitatem, aliqui ad utramque Christi Naturam, accommodant. Qui ad beneficia Christi, eorum aliqui ad beneficiorum acquisitionem in diebus carnis factam, aliqui ad beneficiorum applicationem, quæ fit in Verbo & Sacramento, hos testes referunt. Atqui illi ipsi in diversas abeunt partes, quidam enim ad prius duntaxat N. T. Sacramentum *Baptismum* scilicet hæc omnia accommodant, quidam verò ad utrumque Sacramentum *Baptismum & Cœnam Dominicam* respectum haberi censent, quæ omnia ex ipsorum scriptorum verbis erunt clariora. Ut enim à veteribus initium faciamus. Tertullian. libr. de Bapt. cap. 16. pag. 224. hunc locum sic explicat. *Venerat Christus per aquam & sanguinem, ut aquâ tingeretur & sanguine glorificaretur, proinde ut nos faceret aquâ vocatos, sanguine electos, hos duos Baptismos de vulnere perfossilateris emisit, quia qui in sanguinem ejus crederent, aquâ lavarentur, qui aquâ lavissent, etiam sanguinem potarent.* Ambros. lib. 1. de Spiritu sancto cap. 6. tom. 2. pag. 123. *In illo aquarum sepelimur elemento, ut renovati per Spiritum resurgamus. In aqua enim imago mortis, in Spiritu pignus est vitæ,*



ut per aquam moriatur corpus peccati, quæ quasi quodam tumulo
corpus includit, & per virtutem Spiritus renovemur à morte pec-
cati renati in Deo. Et ideo hi tres unum sunt, sicut Johannes di-
xit. Aqua, sanguis, & Spiritus. Unum in mysterio, non in Natu-
ra. Aqua igitur testis est sepultura, sanguis testis est mortis, Spi-
ritus testis est vitæ. lib. 3. de Spiritu S. cap. II. p. 156. Ut de sancto
Spiritu scripsisse se Evangelista referaret, per aquam, inquit, &
Spiritus venit Jesus Christus. Non solum in aqua, sed per aquam
& sanguinem & Spiritus testimonium, quia Spiritus est veritatis,
quia tres sunt testes, Spiritus, aqua & sanguis, & hi tres unum
sunt in Christo Jesu. Audi quomodo testes? Spiritus mentem re-
novat, aqua proficit ad lavacrum, sanguis spectat ad precium. Spi-
ritus enim nos per adoptionem filios Dei fecit, sacri fontis unda
nos abluit, sanguis Domini nos redemit. Alterum igitur invisibile,
alterum visibile testimonium Sacramento consequimur spiritali,
quia Spiritus testimonium reddit Spiritui nostro. Elias Creten-
sis in comment. orat. 6. Naz. de S. S. p. 190. edit. Basil. Hæc illa sunt,
quæ de incarnatione Dei sermonis testantur, Spiritus quidem id
temporis, cum descenderet in eum specie columba, aqua verò &
sanguis cum è latere illius profluerent. Nam quod hæc de ipsius
corpore profluxerint, id ipsum quiddam erat, quod Naturam hu-
manam excederet. Aug. libr. 3. contra Maximin. Arianum c.
22. post. med. Scrutare Scripturas Canonicas veteres & novas
& inveni si potes, ubi dicta sunt aliqua, unum sunt, quæ sunt di-
verse Nature atq; substantiæ. Sanè falli te nolo in Epistola Jo-
hannis Apostoli, ubi ait, tres sunt testes, Spiritus, aqua & sanguis
& tres unum sunt. Ne fortè dicas, Spiritum, aquam & sangui-
nem diversas esse substantias, & tamen dictum esse, tres unum
sunt. Propter hoc admonui, ne fallaris. Hæc enim Sacramenta
sunt, in quibus non quid sint, sed quid ostendant, semper attendi-
tur, quoniam signa sunt rerum aliud existentia, aliud significa-
ntia. Si ergò illa quæ his significantur, intelliguntur ipsa inveniun-
tur unius esse substantiæ, tanquam si dicamus, petra & aqua
unum sunt, volentes significare per petram Christum & per aquam
Spiritus sanctum, &c. Tria itaq; novimus de corpore Domini
exiisse, cum penderet in ligno, primò Spiritum, unde scriptum est,
& inclinato capite tradidit Spiritum, deinde quando latus ejus
lancea

lanceâ perforatum est, sanguinem & aquam, quæ tria, si per se ipsa intueamur, diversas habent singula quæq; substantias, ac per hoc non sunt unum. Si verò ea quæ his significata sunt velimus inquirere, non absurdè occurrit ipsa Trinitas, quæ unus, solus, verus summus est Deus, Pater, & Filius & Spiritus, de quibus verissimè dici potuit, tres sunt testes, & tres unum sunt, ut nomine Spiritus significatum accipiamus Deum Patrem, de ipso quippe adorando loquebatur Dominus, ubi ait, Spiritus est Deus: nomine autem sanguinis Filium, quia Verbum caro factum est. Et nomine aquæ Spiritum sanctum. Cum enim de aqua loqueretur Jesus, quam daturus erat sitientibus. Evangelista dicit, hoc dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes. Beda in comm. i. Epist. Joh. tom. 5. col. 748. Venit per aquam & sanguinem. Aquam videlicet lavacri & sanguinem suæ passionis. Non solum baptizari propter nostram ablutionem dignatus est, ut nobis Baptismi Sacramentum consecraret ac traderet, verum etiam sanguinem suum dedit pro nobis, suâ nos passione redimens, cujus Sacramentis semper refecti nutrimur ad salutem. Algerus lib. i. de Sacram. cap. 19. tom. 6. Bibl. Patr. p. 499. Quia mirum fuit mortales de cælo secundum promissionem Christi Spiritum sanctum accipere & mortuum more viventis non saniem, sed sanguinem imò supra morem vivorum & mortuorum cum sanguine aquam de vulnere lateris fundere, quod tamen sicut miraculum sic constat fuisse & mysterium. Gloss. ordin. Spiritus, id est, anima quam emisit in passione, aqua & sanguis, quæ fluxerunt de latere veram carnis Naturam testantur. Gloss. interlin. Venit per aquam Baptismi & sanguinem passionis & non solum dignatus est baptizari propter nostram ablutionem, & ut Baptismi Sacramentum nobis consecraret, sed & sanguinem pro nostra redemptione dedit.

36. In recentioribus Interpretibus non minor occurrit expositionum diversitas. B. Lutherus noster in Post. Eccles. Hic est, qui venit per aquam scil. Baptismi, quæ non est nuda aqua, sed cum ea conjunctus est sanguis non hircorum aut vitulorum, sicut in V. T. sed ipsius Christi sanguis, qui efficaciter cum Baptismo aquæ miscetur. Verba ipsa Lutheri valdè sunt emphatica. Es wird Christi Blut krefftiglich in die Wassertauffe gemenget / daß man sie nicht soll ansehen noch halten für schlechte
lauter

laute Wasser / sondern als schön gefärbet vnd durchdröet mit dem
theuren rosenfarben Blut Christi. *Per Spiritum intelligit mini-*
sterium Spiritus, qui non consideratur hoc loco, qualis est in essen-
tia, sed prout se manifestat & efficaciter operatur per verbum,
quia cum duobus in terra testari dicitur. Pontificii plerique
omnes utrobique in vers. scilicet sexto & octavo per Spiritum
intelligunt eum, quem Christus in cruce emisit, per aquam &
sanguinem id quod ex latere Christi in cruce vulnerati pro-
fluxit. Bellarminus lib. 2. de Sacram. cap. 27. id quod de
Christo *per aquam & sanguinem* ad nos veniente v. 6. dicitur,
refert ad *discrimen inter Baptismum Johannis & Christi.* Cal-
viniani variant. Cingl. in annot. h. l. *Per aquam Baptismum*
Christi atq; omnia, quae Christo baptizato juxta Jordanem conti-
gerunt virtute Synecdoches intelligimus. *Per sanguinem non so-*
lum eum, qui è latere Christi mortui in cruce lancea perfollo ef-
fluxit, sed quicquid circa crucem Christi miraculosum evenit, in-
terpretantur. Spiritus sancti nomine non modo apparitionem
illam, quae specie columbae è caelo veniens, super caput Christi ba-
ptizati consedit, sed & miraculum, quo die Pentecostes Apostoli
Spiritu sancto accepto variis linguis loquebantur, comprehendimus.
Oecolampad. de magor. 19. in Epist. Iohan. pag. 84. *Per*
aquam intelligit testimonium Johannis Baptistae, qui apud a-
quam testificatus est Iesum esse agnum Dei. *Per sanguinem te-*
stimonium Centurionis, qui ex latere Christi vidit profluere
sanguinem & aquam. *Per Spiritum testimonium Apostolorum,*
qui in die Pentecostes accepto Spiritu S. variis loquebantur lin-
guis. Calvinus in comm. Non dubito, quin ad veteres legis ri-
tus in vocibus aquae & sanguinis alludat. Aqua abluebantur
sordes, in sanguine erat expiatio & plena reconciliationis pignus,
sed lex externis tantum Symbolis adumbravit, quod solide ac re-
ipsa à Messia præstandum erat, aptè igitur probat Iohannes, Ie-
sum esse Christum Domini olim promissum, quia secum attulit,
quo nos omni ex parte sanctificet. Beza in annot. *Per aquam*
intelligitur ablatio à peccatis, cuius Symbola erant purificationes
sub lege usurpatae & cuius peculiaris tessera est Baptismus. *Sangvi-*
nis nomine intelligitur expiatio & persolutio pro peccatis, nempe
sanguinis Christi aspersio, cuius visibile Symbolum est aqua aspersio
Sakra-

Sacramentalis in Baptismo, sicut & hujus peccatorum expiationis & illius sanctificationis tessera efficacissima est Cæna Domini. Spiritus vocatur vis & efficacia Spiritus sancti per fidei fructus sese exerens ac dona illa, quæ Evangelicæ doctrinæ veritatem obstinabant. Martyr. class. 4. loc. comm. cap. 8. sect. 2. Augustini interpretationem sequitur. Zanchius lib. 1. de tribus Eloh. cap. 1. p. 6. per tres in terra testes intelligit tria oraculorum de Christo genera, quæ Jesus dum adhuc esset in terris, ostendit in sese completa. Primum Christum venturum ut Prophetam, qui cælestem Evangelii doctrinam afferret, eamq; inter ipsas etiam gentes spargeret hanc doctrinam S. S. in Scripturis sæpè comparavit aquis aut significavit per aquas Esa. 41. v. 9. Ezech. 47. &c. Deinde prædixerunt Messiam venturum Pontificem, qui sacrificiū offerret pro peccatis non suis, sed aliorum & quidem quod deberet mori tali genere mortis, quali videmus Jesum mortuum esse, &c. hæc autem passio nomine sanguinis significatur. Postremo prædixerunt eum venturum ut Regem, qui sua virtute hostes expugnet, de illis triumpharet, & populum suum liberaret, hæc virtus ac potentia Regis Messie nomine Spiritus intelligitur 1. Tim. 3. v. 16. 1. Petri 3. v. 18. Gualther. in comm. per aquam intelligit Christi Baptismum & quæcumq; in eo acciderunt, per sanguinem verò passionis & mortis Historiam, ac in utroq; testimonia de Christo Salvatore annotat. Piscat. in annot. per aquam & sanguinem v. 6. intelligit legales oblationes & sacrificia expiatoria, per quas Ceremonias Deus testatus est Christum venturum cum sacrificio expiatorio, hoc est, fore ut sanguis Christi fundatur ad abluendum credentes à peccatis, cui testimonio desumpto ex V. T. dicit adungi alterum, quod est N. T. videlicet Evangelium, quod vocetur Spiritus, addit tamen non fore absurdum, si quis hoc loco per ἀντανάκλασι nomine aquæ intelligat Baptismum, nomine verò sanguinis Cænam Dominicam, modò sanguinis vocabulum accipiatur non propriè quasi sanguis Christi jam sit in terra, sed metonymicè & Synecdochicè pro sacra Cæna, quæ corporis & sanguinis Christi est Sacramentum. Idem statuunt Aretius in com. Toffan. in notis margin. & reliqui. Photiniani in Catech. Rarov. pag. 125. accipiunt de tribus illis, quibus voluntatem Dei à Christo confirmatam dicunt. Per Spiritum notari censent miracula

G

racula



racula Christi, per aquam vitæ innocentiam, per sanguinem verò mortem.

37. Quid de hisce interpretationibus omnibus & singulis statuendum sit, pluribus exponere non arbitramur operæ fore precium, cum plerasq; jam antè expenderimus in tract. de Sacram. §. 89. & ex nostræ sententiæ declaratione id facile intelligi possit. Augustinus postquam expositionem hujus loci proposuerat, modestè addit sub finem capitis proximè citati. *Si quo autem alio modo tanti Sacramenti ista profunditas, quæ in Epistola Johannis legitur, exponi & intelligi potest secundum Catholicam fidem, quæ nec confundit nec separat Trinitatem, nec abnuit tres personas, nec diversas credit substantias, nulla ratione respuendum est. Quod enim ad exercendas mentes fidelium in Scripturis sanctis obscure ponitur, gratulandum est, si multis modis non tamen insipienter exponatur.* Hanc Augustini modestiã secuti non planè & in universum repudiabimus, sed potiùs certo respectu admitteremus adductas explicationes, quatenus sc. analogiæ fidei congruunt, nec hæreticum aliquod fermentum admixtum habent, etiamsi quædam ex illis à scopo textus & simplicitate literæ declinare videantur, ac nostram duntaxat exponemus sententiam, de quâ liberum cuiq; piè erudito relinquimus iudicium. Tria, uti diximus, continentur in illa fide, quâ credimus *Jesum esse Christum*, videlicet veræ divinitatis in Christo confessio, veræ humanitatis in ipso agnitio & specialis beneficiorum Christi applicatio, ad hæc ergò tria confirmanda spectant, quæ ab Apostolo subjunguntur, quod Christum dicit *venire per aquam & sanguinem ac Spiritum testificari, quod Spiritus sit veritas* v. 6. id principaliter pertinet ad confirmandam fiducialem Christi Mediatoris apprehensionem & specialem beneficiorum ipsius applicationem, quòd *tres in cælo testes*, statuit, *Patrem, Verbum & Spiritum* v. 7. id ad confirmationem divinitatis Christi spectat; deniq; quod vers. 8. subjungit, *tres esse in terra testes, Spiritum, aquam & sanguinem*, id ad confirmationem veræ humanitatis CHRISTI pertinet.

38. Diximus versum 6. principaliter ad confirmandam fiducialem Christi Mediatoris apprehensionem per testimonium
nium

num Spiritus S. in Verbo & Sacramentis spectare, interim
non negamus consequenter ac certa quadam ratione etiam ad
confirmandam veram Christi tum Deitatem tum humanita-
tem referri posse. Id quod ostendit 1. res ipsa, quia nisi Chri-
stus esset verus Deus, non instituisset N. T. Sacramenta, nisi ef-
set verus homo ac verum corpus & verum sanguinem in per-
sonæ unitate haberet, non potaret nos sanguine suo in sacra-
Cœna ad fidei nostræ confirmationem, quin & fides illa spe-
cialis, quâ credimus Christum esse nostrum Mediatorem ac
Salvatorem præsupponit hoc ipsum, ut credamus Christum
esse verum Deum ac verum hominem. 2. Quia materia duo-
rum N. T. Sacramentorum Baptismi scilicet & Eucharistiæ,
de quibus primario & principaliter sub nomine aquæ & san-
guinis Apostolus in v. 6. tractat, ex latere Christi profluxit, per
quem miraculosum profluxum vera Christi tum Deitas tum
humanitas fuit demonstrata. 3. Eandem explicationem ad-
mittunt verba Apostolica. Hic est ^{ἐλθὼν} qui venit per aquam
& sanguinem, inquit Apostolus. ^{ἐλθὼν} Aor. 2. sæpè in Histo-
ria Evangelica Apostoli nostri ponitur loco perfecti Johan. 4.
v. 54. cap. 7. v. 50. cap. 12. v. 12. &c. quæ etiam propria est ao-
risti significatio, sensus igitur erit, quod Christus *in diebus car-*
nis (illud enim ^{ὅτι σαρκί} repetendum hoc loco ex 1. Joh. 4. v. 3.) in
passione sc. venerit per aquam & sanguinem, non in aqua so-
lùm, sed in sanguine & aqua, hoc est, quod ex latere in cruce
per lanceam aperto profluxerit aqua & sanguis, sicut in Histo-
ria Evangelica c. 19. v. 34. illud jam antè descripserat & certæ
asseverationis loco addiderat v. 35. *qui vidit, testimonium per-*
hibuit & verum est testimonium ejus & ille scit, quia vera dicit,
ut & vos credatis, unde etiam hoc loco addit, *Spiritus testifica-*
tur illud ipsum, puta de aqua & sanguine in Evangelicæ scilicet.
Historiæ descriptione, ὅτι quia Spiritus est veritas & proinde
testimonium ejus est verum ac certum, ut particula ὅτι accipia-
tur causaliter non objectivè pari ratione, ut in Evangelio dixe-
rat, qui vidit testimonium, perhibuit & verum est testimonium
ejus non ideò solùm, quia testis est ὡτόπης, sed etiam quia
Spiritu sancto autore & impulsore illum sanguinis & aquæ è
latere profluxum annotavit. Ceterum profluxus ille sanguinis

& aquæ è Christi latere fuit non solum veræ *Deitatis* (cujus tres testes v. 7. ab Apostolo proferuntur) sed etiam veræ *humanitatis* ac mortis testimonium, ideò postmodum v. 8. ad tres in terra testes veram Christi humanitatem comprobantes *aqua & sanguis* referuntur, & additur illis *Spiritus*, per quem intelligitur anima sive Spiritus quem Christus in cruce emisit, atque eo ipso se & verum hominem & verè mortuum esse testatus est.

39. Quia verò ὁ ἰλθὼν alibi apud Johannem cap. ii. v. 17. etiam pro præsentis usurpatur & quia temporum enallage aliàs frequentissima est, cum primis quia de tali Christi ad nos adventu loquitur, qui adhuc quotidie durat, ideò non tantum nec primariò de confirmatione veræ in Christo humanitatis, sed etiam imò principaliter & primariò de confirmatione specialis illius fidei, quæ per & propter Christum Mediatorem & Salvatorem nostrum Deum nobis propitium esse statuimus, verba Apostoli explicanda sunt. Dicit Apostolus Christum ad nos & *venisse* (per Sacramentorum institutionem foedus gratiæ nobiscum erigendo) & adhuc *venire* (per eorundam in Ecclesia dispensationem beneficia sua nobis applicando) *per aquam & sanguinem*, hoc est, per Baptismum in quo est aqua, licet non sola, & sacram Cœnam, in qua est sanguis Christi, licet non solus, quorû Sacramentorum materia ex ipsius latere in cruce profluxit, & veteres unanimi cõsensu testantur. Exponit etiam usum Sacramentorum, quod videlicet testentur *Christum venisse*, opus redemptionis perfecisse, & illa memorialia ac media, per quæ Deus nobiscum agere, remissionem peccatorum & vitam æternam nobis applicare velit, instituisse, ac notanter addit, *non per aquam solum, sed & per sanguinem*, ut binarium Sacramentorum N. T. numerum ostendat, & per hanc exaggerationem Christi sanguinem verè in Cœna præsentem nobis exhiberi confirmet. Conjungit etiam tertium testem, videlicet *Spiritum sanctum*, qui non solum in ministerio Evangelii, quod est *ministerium Spiritus* Johan. 15. vers. 26. 2. Cor. 3. v. 8. publicè de gratia Dei in Christo promissa & oblata testatur, sed etiam privatim in corde cujusvis credentis promissionem gratiæ confirmat & obsignat. Si enim Christum per

per tres illos testes, per verbum Evangelii eiq; addita Sacra-
menta ad nos venientem recipimus, tum Spiritus S. interius te-
statur, quod Spiritus sit veritas, ac *testimonium reddit Spiritui*
nostro, quod simus Filii Dei Rom. 8. v. 16. quæ explicatio tum
binarium Sacramentorum N. T. numerum & principalem eo-
rum finem, obsignationem sc. gratiæ & beneficiorum Christi
contra Pontificios, tum veram, realem & substantialem san-
guinis Christi in Cœna præsentiam contra Calvinianos & Pho-
tinianos asserit, ut in tractat. de Sacrament. §. 89. de Circ. &
agn. Pasch. §. 55. de Euch. §. 102. fuit demonstratum. Neque
pugnat hæc interpretatio cum priore de sanguine & aqua ex
Christi latere profluente, quia ut antea etiam monuimus, pro-
fluxus ille non solum fuit veræ humanitatis & mortis testimo-
nium, sed etiam insigne miraculum, quo & vera Christi Dei-
tas demonstrata & grande mysterium, quo *duo Ecclesie Sacra-*
menta: quorum materia sunt sanguis & aqua fuerunt designa-
ta, id quod ex Augustino & aliis veteribus in Harm. Evangel.
Hist. p. 877. pluribus fuit comprobatum.

40. Hæc ipsa Apostolici textus explicatio & connexio
ostendit, verba illa de tribus in cœlo testibus non
esse suppositiva & adjectiva, sed genuina, id quod in specie de-
monstramus. I. *Ex questionis probatione*. Quæstio ab Apo-
stolo proposita, an certò ac firmiter credi possit ac debeat Je-
sum esse Christum, tria complectitur, confessionem scil. veræ
in Christo Deitatis, agnitionem veræ humanitatis, & specia-
lem beneficiorum Christi applicationem. Quare in probatio-
ne Apostolica non solum vera Christi humanitas ex aqua, san-
guinis & Spiritus testimonio, neq; tantummodò certum &
immutum specialis illius applicationis fundamentum in mi-
nisterio Spiritus & Baptismi ac Cœnæ Dominicæ Sacramento
fuit demonstrandum, sed etiam veræ divinitatis confirmatio
omniò fuit subjicienda. Ea verò proponitur in verbis
illis de tribus in cœlo testibus. *Scopus Johannis est, inquit Flo-*
rav. lib. 1. de Trin. p. 40. demonstrare Christum esse verum
Deum & verum hominem, quatenus Deus est, videtur quodam-
modo oriundus de cœlo, quatenus homo de terra. Propterea cita-
vit tres testes in cœlo, & tres testes in terra, sicut accidit illi, qui



nobilitatē suam vult probare, cū natus sit ex Parentibus natione
diversis, aliunde enim accersitis testibus probat nobilitatem à Pa-
tre, aliunde nobilitatem à matre. Dicit ergò tres esse testes in
terra, id est, testes humanos, qui testificantur de humana Christi
Natura, qui sunt aqua, sanguis & Spiritus, ac tres esse testes, qui
testificantur in cælo, id est, testes divinos, qui testificantur de
Christi divinitate, qui sunt, Pater, Verbum & Spiritus sanctus.
At, inquis, in verbis illis, quòd Christus venerit per aquam &
sanguinem, quodq; Spiritus testificetur, Spiritum esse veritatem,
jam antè continetur testimonium de Christi divinitate. Sive
enim per aquam & sanguinem intelligamus id, quod ex latere
Christi in cruce mortui profluxit, certè insigni illo miraculo
non minùs quàm reliquis Christi mortem secutis, vera ejus
Deitas fuit probata. Sive ad N. T. Sacramenta à Christo in-
stituta hæc applicemus, itidem habebimus divinitatis testimo-
nium, aqua enim Baptismi in nomine Christi non minùs
quàm Patris & S.S. administrati à peccatis nos abluens, san-
guis redemptionis nostræ precium in sacra Cœna ad obfignan-
dam peccatorum remissionem bibendus nobis datus, & Spiri-
tus sanctus per Verbum & Sacramenta collatus evidens Deita-
ti Christi testimonium præbent, quia enim in ipsius nomine
baptizamur in peccatorum remissionē, quia sanguine suo re-
demtionis nostræ precio nos potat, & Spiritu donat, ex eo ve-
rus Deus agnoscitur. Sive cum Augustino per Spiritum my-
sticè accipiamus Patrem, per sanguinem verò Filium, per
aquam Spiritum sanctum, denuò habebimus Trinitatis ac
proinde etiam divinitatis Christi testimonium. Resp. conce-
dimus in illis etiam verbis de aqua, sanguine & Spiritu testi-
monium Deitatis Christi proponi, sed indirectè & implicitè,
jam verò Apostoli scopus est tria illa in quæstione, an firmiter
credi possit ac debeat, *Jesum esse Christum*, conjunctim propo-
sita directè & explicitè demonstrare, utiq; ergò testimonium
illud principale ac summum, quo Christi Deitatis à testibus
cœlestibus probatur, prætermitti non potest nec debet. 2. *ex
speciali testium enumeratione.* In v. 6. Apostolus de omnibus te-
stibus, qui Jesum esse Christum verum Deum & hominem,
Mediatorem, Redemptorem ac Salvatorem nostrum testifican-
tus

tur conjunctim egerat, in verbo enim *venit* includitur *Pater* & quo Filius in mundum missus, ut colligitur ex aliis hujus Epistolæ textibus cap. 4. v. 9. *in hoc apparuit caritas Dei, quod Filium suum unigenitum misit Deus in mundum* vers. 19. *Deus misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris* vers. 14. *nos vidimus & testificamur, quod Pater misit Filium Salvatorem mundi.* Christus qui est *Λόγος* & *ἑσχατος* & Spiritus sanctus disertis verbis exprimuntur, sic ergo tres testes cœlestes habemus, sed & aquæ, sanguinis ac Spiritus trium in terra testium non minus diserta fit mentio. Postea v. 7. & 8. de utroq; testium genere Apostolus in specie tractat. Quæ verò posset dari ratio, quod Apostolus de tribus in terra testibus speciatim agere voluisset, atq; interim specialem trium in cœlo testium explicationem prætermittere? 3. *ex oppositione* v. 8. disertè additur, *Spiritum, aquam & sanguinem esse testes in terra*, at cur prætermitteret testes in cœlo, cum non solum in terra, sed etiam è cœlo Christo sit datum testimonium? 4. *ex particula copulativæ usurpatione* v. 8. Apostolus sic orditur. *καὶ οὗτοι & tres sunt testificantes in terra*, quam copulativam expressit etiam Syrus per usitatum, hæc particula copulativa ostendit aliorum etiam trium testium mentionem præcessisse. 5. *ex consecutione.* Expositis tribus in cœlo ac tribus in terra testibus concludit Apostolus. *Si testimonium hominum recipimus, testimonium Dei majus est, quia hoc est testimonium Dei, quod testificatus est de Filio suo.* Quidam exillimant testimonium, hominum dici Spiritus, aquæ & sanguinis testimonium non ratione *cause efficientis*, sed ratione *objecti*, quia de vera Christi humanitate testantur, sicut *Patris, Verbi & Spiritus* testimonium dicitur testimonium Dei tum ratione efficientis, tum respectu objecti, quia scilicet à Deo proficiscitur, & veram Christi divinitatem comprobatur, juxta hanc interpretationem conclusio Apostolica ex præcedentibus aptissimè infertur, & trium in cœlo testium testificatio præsupponitur. Sed per *testimonium hominum* videtur Apostolus simpliciter intelligere illud, quod in vita communi inter homines locum habet, cum quo confert testimonium Dei, quod longè majus, id est, majoris fidei ac ponderis esse asserit propter dicentis autoritatem, nec tantum

trium

trium in cœlo testium, sed etiam trium in terra testium testimonium Dei & divinam *μετρηται* appellat, discrimine tamen eo, ut illud, puta testium, in cœlo sit immediatum & summum, hoc verò testium scilicet in terra sit mediatum. Posito autem testimonio Dei mediato non potuit prætermitti immediatum ac summum. 6. *ex quadam ad absurdum deductione*. Si versiculus septimus de tribus in cœlo testibus omittitur, tunc præcipui illi ac primarii testes, qui de Christo Salvatore testificati sunt, prætermittuntur, ac fundamentum fidei primum & summum, quod in ipso Deo non in externis mediis quærendum, omittitur, id quod in accurata illa tractatione factum nullo modo verisimile est.

5. *ex versiculi hujus cum aliis Evangelistæ scriptis consensione.*

41. Quintam argumentorum classem petimus *ex versiculi hujus cum aliis Evangelistæ scriptis consensione*. Quicumque versiculus cum aliis Evangelistæ & Apostoli nostri scriptis quoad res & verba exactè congruit, is non habendus est pro supposititio & ascitio, nisi evidentibus argumentis contrarium demonstretur. At hic versiculus de tribus in cœlo testibus cum aliis Evangelistæ & Apostoli nostri scriptis quoad res & verba exactè congruit. Ergò. In Majore cur addatur illa clausula, *nisi contrarium demonstretur*, patere potest ex superioribus. Minor probatur tum *ex terminis simplicibus*, tum *ex phrasibus conjunctis*, quibus Apostolus in hoc versiculo utitur. Filius secunda Trinitatis persona vocatur *ὁ υἱός*, id verò Johanni familiare est, ut constat non solùm ex Evangelica Historia cap. i. v. i. 14. & Apocalypsi cap. 19. v. 13. sed etiam ex hac ipsa Epistola cap. i. v. i. & 3. Pater, Verbum & Spiritus de Christo testificari dicuntur, id verò cum aliis Evangelicæ Historiæ textibus exactissimè congruit. Pater de Christo testificatur. Joh. 5. v. 37. *qui misit me Pater, ipse de me testimonium perhibuit*, ubi ad vocem Patris in Baptismo & transfiguratione cœlitus delatam Christus provocat, tum *immediatè*, quando vox ejus de cœlo audita est, & *clarificavi & clarificabo eum* Joh. 12. v. 28. tum *mediatè* per Johannis Baptistæ testificationem Joh. 1. v. 6. *Fuit homo missus à Deo, cui nomen Johannes* v. 6. *Hic venit ut testimonium perhiberet de lumine &c.* Johan. 5. v. 33. *Johannes testimonium perhibuit veritati*, ac per miraculorum à Christi

Christo factorum operationem Johan. 5. v. 36. *opera quae dedit mihi Pater, ut perficiam ea, ipsa opera, quae ego facio, testimonium perhibent de me, quod Pater misit me.* Joh. 14. v. 10. *Pater in me manens ipse facit opera.* Filius de seipso testificatus est, Joh. 3. v. 11. *quod scimus loquimur, & quod vidimus testificamur* v. 31. *qui de caelo venit, super omnes est* v. 32. *& quod vidit & audivit, hoc testificatur.* Johan. 8. v. 14. *Et si ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum, quia scio unde veni & quo vado.* Ap. 1. v. 5. *vocatur testis fidelis.* Testificatus a. est Filius de seipso tum verbis Joh. 4. v. 26. *Ego sum Messias* Joh. 5. v. 51. *Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi,* Joh. 8. v. 12. *Ego sum lux mundi.* Joh. 9. v. 37. *Qui loquitur tecum, est Filius Dei.* Joh. 11. v. 25. *Ego sum resurrectio & vita.* Joh. 14. 5. *Ego sum via, veritas & vita, tum factis sive miraculis.* Joh. 5. 36. *opera quae facio, testimonium perhibent de me.* Joh. 10. v. 37. *Si non facio opera Patris mei, nolite mihi credere* v. 28. *Si autem facio & si non vultis mihi credere, operibus credite.* Patris & Filii testimonium conjunguntur Joh. 8. v. 17. *in lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est* v. 18. *Ego sum, qui testimonium perhibeo de meipso, & testimonium perhibet de me, qui misit Pater, ad quem locum digitum intendit Johannes, quando inquit. Tres sunt, qui testimonium dant in caelo. Si testimonium hominum recipimus, testimonium Dei majus est, &c.* Spiritus sanctus de Christo testificatus est, tum per visibilem in Christum descensionem Joh. 1. v. 32. *Vidi Spiritum sanctum descendantem quasi columbam, & mansit super eum,* tum per Scripturarum promulgationem Joh. 5. v. 39. *Scripturae testificantur de me,* tum per Apostolorum praedicationem. Johan. 15. v. 26. *Spiritus sanctus testimonium perhibebit de me, v. 27. & vos testimonium perhibebitis.* Tres illi testes dicuntur in caelo. Hoc ipsum etiam Evangelio Johannis congruit. De Patre dicitur Joh. 12. v. 28. *venit vox de caelo, clarificavi eum.* De Verbo sive Filio dicitur. Joh. 3. v. 13. *nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo, Filius hominis qui est in caelo.* v. 31. *qui de caelo venit, est super omnes.* Joh. 6. v. 38. *descendi de caelo, ut faciam voluntatem Patris.* v. 51. *ego sum panis vivus, qui de caelo descendi.* De Spiritu sancto dicitur Joh. 1. v. 32. *Vidi Spiritum S. descendantem de caelo quasi columbam & mansit super eum.* Tres

H

illi

illi testes dicuntur unum, illud ipsum totidem verbis de Patre & Filio dicitur, quando Johan. 10. v. 30. inquit Christus. *Ego & Pater unum sumus*, à qua essentiæ unitate Spiritū S. non esse exclusum patet ex omnibus illis dictis, quæ Spiritus S. Deitatem probant. Cum primis huic pertinet egregius locus Johan. 16. v. v. 13. *Spiritus sanctus non loquetur à semetipso, sed quæcumq; audiet, loquetur* v. 14. *ille me clarificabit, quia de meo accipiet & annunciabit vobis* v. 15. *omnia quæcumq; Pater habet, mea sunt, propterea dixi, de meo accipiet & annunciabit vobis*. Sicut Filius audit à Patre Johan. 8. v. 28. accipiendo ab eo essentiā & sapientiam divinam per æternam generationem: ita Spiritus sanctus audit à Patre & accipit de Filio essentiā & sapientiam divinam per æternam processionem. Ut per & propter æternam generationem Filius ita à Patre distinguitur *personaliter*, ut sit cum Patre unum *essentialiter*, quia omnia habet, quæ sunt Patris: Sic Spiritus S. per & propter æternam processionem à Patre & Filio ita distinguitur *personaliter*, ut sit cum Patre & Filio unum *essentialiter*, quia omnia habet, quæ sunt Patris & Filii. Augustinus tract. 99. in Johan. *Sic debemus accipere, quod de Spiritu sancto dictum est, non enim loquetur à semetipso, sed quæcumq; audiet loquetur, ut intelligamus non eum esse à semetipso. Non loquetur à semetipso, sed quæcumq; audiet, loquetur, ab illo audiet, à quo procedit. Audire illa scire est, scire verò esse. Quia ergò non est à semetipso, sed ab illo, à quo procedit, à quo illi est essentiā, ab illo scientiā, ab illo igitur audientia, à quo nihil est aliud, quàm scientiā. Conjungo etiam apud Johannem hæc dicta. Johan. 14. v. 23. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*. 1. Johan. 3. v. 24. *Qui servat mandata Dei, in eo Deus manet, & ipse in Deo. Et in hoc scimus, quoniam manet in nobis, ex Spiritu quem dedit nobis*. Sicut Pater & Filius unius indivisæ essentiæ esse ex eo intelliguntur, quod, Patre ad nos veniente & mansionem apud nos faciente, etiam Filius venit & mansionem apud nos facit: sic Spiritus sanctus unius cum Patre & Filio essentiæ ex eo intelligitur, quod ex Spiritu sancti in habitatione colligere possumus, Patrem & Filium in nobis manere.*

6. ex versiculi hujus

42. Sextum argumentum ducimus ex versiculi hujus

62130

cum fidei analogia panarmonia & conciliatione. Euseb. libr. 3. *cum fidei*
Hist. Eccles. cap. 22. quatuor ponit *γνώσιμον*, quibus primiti- *analogia*
væ Ecclesiæ Doctores scripta spuria & supposititia ab hæreticis *cōciliatio-*
conficta, à scriptis Canonicis Apostolorum & Evangelistarum *re.*
discreverint, *τῆς ἐκκλησιαστικῆς κείσιν, φεῖσιν, γνώμων καὶ ἀποδείξεσιν.* Horum
(inquit) *catalogum fecimus, ut scire queamus, & illa & quæ sub*
nomine Apostolorum sive velut Petri, sive Thomæ vel Matthiæ vel
aliorum præterea Evangelia, aut veluti Andrea, & Johannis &
aliorum Apostolorum acta continentia ab hæreticis proferuntur,
quorum nullam uspiam vel aliquis Ecclesiasticæ successionis scri-
ptor mentionem in commentariis suis facere dignatus est. Porro
& phraseos character à consuetudine Apostolica variat & ipsa
sententia & propositum eorum, quæ in illis afferuntur, plurimum
à veritate rectæ doctrinæ discrepant & quod hæreticorum sint vi-
rorum fragmenta perspicuè convincunt. Ut autem ex his notis de
integris libris, ita quoq; de partibus librorum, certis sc. senten-
tiis fieri potest iudicium, ut adulterinæ ac supposititiæ partes
censeantur, quibus notæ illæ minimè congruunt. Sic perico-
pe illa in cap. 16. Marci, cujus mentionem fecimus superius.
Et illi satisfaciebant dicentes, seculum istud iniquitatis & incre-
dulitatis substantia est, &c. non adducitur à Scriptoribus Ec-
clesiasticis vetustiorib. tanquam pars Canonici Scripturæ, nec
character phraseos cum Apostolica loquendi consuetudine
congruit, nec sententia cum fidei analogia conformis est, nec
proposito sive scopo quadrat, ergò pro additamento Mani-
chæo meritum habetur. Atqui in nostro illo versiculo nihil
horum demonstrari potest, quod vel vetustiorum Scriptorum
testificatione destituatur, vel à caractere phraseos Apostoli-
cæ, vel à fidei analogia in libris & partibus librorum indubita-
tò Canonicis, vel à contextu Apostolico discrepet. Ergò non
est pro spurio & supposititio additamento habendus. De re-
liquis assumptionis membris constare potest ex superioribus.
De conformitate hujus versiculi cum fidei analogia nemo du-
bitare potest, qui ad reliquorum Evangelistarum scripta eun-
dem examinat. Patrem, Verbum & Spiritum testificari Apo-
stolus asserit. Nihil in eo repugnans fidei analogiæ conti-
netur. Sed id ipsum potius aliorum Canonicorum librorum
suffragio comprobatur. *Pater de Christo testificatus est tum*



in Baptismi administratione Matth. 3. v. 17. tum in mirabili illa
 transfiguratione Matth. 17. v. 5. *Hic est Filius meus dilectus. Filius*
 de seipso testificatus est, quoties se à Patre missum, se non ve-
 nisse, ut suam sed ut Patris voluntatem faceret, professus est. Spi-
 ritus sanctus testificatus est in visibili super Christum descensu
 Matth. 3. v. 16. Luc. 3. vers. 22. & in effusione super Apostolos
 juxta Christi promissum die Pentecostes facta Act. 2. v. 4. To-
 ta sacrosancta Trinitas de Christo testificata est non solum per
 visibilem in Baptismo apparitionem ac miraculorum operationem,
 sed adhuc hodiè testificatur per oraculorum Prophetarum &
 Apostolicorum consensionem, per Sacramentorum administratio-
 nem, per beneficiorum, quæ piis Deum in Christi nomine invocan-
 tibus contingunt largitionem, per Ecclesiæ Christianæ conservatio-
 nem, per adversariorum repressioem, &c. Tres illos testes
 unum esse Apostolus asserit. Nec in eo quicquam repugnans
 fidei analogiæ continetur, sed id ipsum aliorum testimonium
 indubitato Canonorum suffragio comprobatur. Baptizari
 jubemur in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti Matth. 28. v. 19.
 In cuius nomen baptizamur, ille est verus & æternus Deus. At-
 qui baptizamur in nomine Patris, Filii & SS. Ergò Pater, Filius
 & Spiritus S. sunt verus & æternus Deus, & per conseq. unius
 indivisa essentia, sed de eo postea plenius.

7. Ab ad-
 ditionis &
 omissionis
 conditione.

43. Septimum argumentum ducimus ab additionis &
 omissionis conditione. Cum versiculus hic in quibusdam Co-
 dicibus fuerit lectus, in quibusdam verò minimè, alterutrum
 factum fuisse oportuit, vel quod illis aliquid fuerit additum,
 vel quod hisce fuerit quippiam detractum. Utrumvis dolo vel
 casu factum fuit vel fieri potuit. Si dolo, magis verisimile est
 eum esse ab Arianis sublatum è Codicibus, in quibus non lege-
 batur, quàm adjectum ab Orthodoxis in illis Codicibus, in qui-
 bus legebatur. 1. quia Orthodoxis non fuit ignota commina-
 tio Apocalyptica, cujus in principio fecimus mentionem, si
 quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas. Commi-
 nationem illam ab Orthodoxis susq; deq; fuisse habitam nullo
 modo verisimile est, nec permittit id de illis sentire reverentia
 erga Deum & ipsius verbum, de hæreticis verò facilius credi
 potest, quod alterâ comminationis parte, si quis diminuerit de
 verbis



verbis libri hujus, auferet Deus partem ejus de libro vite, penitus
contemptâ versiculum hunc è Codicib. quibusdam sustulerint.
Cum enim non fuerint veriti textus Scripturæ peregrinis &
falsis glossis corrumpere, cur non ausi etiam fuissent ipsam Ca-
nonicam Scripturam adulterare? cum non fuerint veriti glo-
riam Christi oppugnare, cur non ausi etiam fuissent verbi cœ-
lestis integritatem labefactare? 2. quia Orthodoxis non fuit
ignotum, veritatem cœlestem suis suffultam viribus non indi-
gere ad sui defensionem ullo mendacio. Ut enim *Deo non sunt
necessarii homines impii* Eccl. 15. v. 11. sic verbo Dei non sunt ne-
cessaria humanorum mendaciorum additamenta 3. quia Ec-
clesiæ homines fundamentum Ecclesiæ in Prophetis & Apo-
stolicis scriptis propositum adulterare & veritatis filios tabu-
las cœlestis veritatis corrumpere voluisse non est verisimile,
cum Ecclesia sit *columna & firmamentum veritatis*, 1. Tim. 3. v.
15. De Judæis, quibus *concredita fuerunt Dei eloquia*, Rom. 3. v.
2. testatur Philo in libr. de egress. fil. ex Ægypt. & Euseb. libr.
8. de præpar. Evang. c. 2. quod tam fideles fuerint Canonicor.
scriptorum custodes, *ut centies potius mortem oppetere voluerint
quam permittere, ut in aliquo ea mutarentur*, num existimabi-
mus N. T. Ecclesiam in librorum Canonicorum integritate
asservanda negligentiorum fuisse? 4. quia Orthodoxis præstò
fuerunt alia testimonia, quib. Patris, Filii & SS. *divinitus* com-
probatam dare potuerunt, nulla ergò ipsis incubuit necessitas
falsum aliquod testimonium pro ea astruenda confingendi,
sed hæretici negantes Trinitatis mysterium fortissimè ex hoc
loco potuerunt convinci, cum ergò ejus vim aliter effugere
non possent, ex authenticis divinæ veritatis tabulis illud dele-
verunt. Sin *casui* potius quàm dolo ascribendum, quod hic
versiculum in quibusdam Codicib. fuerit lectus, in aliis v. mini-
mè, is in omissione potius locum habet, quàm in additione.
Neq; enim casui tribui potest, si quis integram pericopen tex-
tui inserit, contra verò facilè fieri potest, ut in describendo ali-
quid omittatur, quando ferè eadem verba repetuntur, quod
hoc loco fieri animadvertimus, cum de tribus in terra testibus
v. 8. dicatur, quod sint *in unum*, sicut v. 7. de tribus in cœlo te-
stibus dictum fuerat, quod *sint unum*. Vide Salm. in comm. h. l.
tom. 16. p. 307.

8. ab hæ-
retica
fraudis pa-
tefactione

44. Octavum deniq; argumentum ducimus ab hæreti-
ca fraudis patefactione. Ex Historia Ecclesiastica multis confir-
mari potest exemplis hæreticorum audaciam eò quandoque
priorupisse, ut divinæ veritatis tabulas additione vel mutilatio-
ne quorundam dictorum corrumpere veriti non fuerint, quæ
ipforum suavis piâ Orthodoxorum vigilantia fuere coram
Ecclesia patefactæ, ecquis igitur dubitabit in hoc quoq; versu-
culo expugnando inimicas hæreticorum manus occupatas fu-
isse? Qui semel malus, semper talis præsumitur. Ne longè ab-
eamus, de Arianis manifestè constat, quod fraudis illius ab or-
thodoxis convicti fuerint. Ambros. lib. 5. de fide cap. 7. non
longè à princ. tractans locum Marc. 13. v. 32. *De die illa vel ho-
ra nemo scit, neq; Angeli in cælo, neq; Filius nisi Pater. Primum*
(inquit) *veteres non habent Codices Græci, quod nec filius scit.*
Sed non mirum si hoc falsarunt, qui Scripturas interpolare
divinas. Quâ ratione autem videatur adjectum, proditur, dum
ad interpretationem tanti sacrilegii (in Christo omnem scien-
tiam esse non posse) derivatur. Cum primis verò accuratè ex-
pendendum illud ejusdem Ambrosii lib. 3. de Spiritu S. cap. 11.
statim in princ. Non solum, h. l. inquit, (Act. 5.) evidenter sancti
Spiritus Deitatem Scriptura testatur, sed etiam ipse Dominus dixit
in Evangelio. Quoniam Deus Spiritus est, quem locum ita expressè
Ariani testificamini esse de Spiritu, ut eum de vestris Codicibus au-
feratis, atq; utinam de vestris & non etiam de Ecclesie Codicibus
tolleretis? Eo enim tempore quo impie infidelitatis Auxentius Me-
diolanensem Ecclesiam armis exercitug; occupaverat, vel à Va-
lente atq; Ursacio nutantibus Sacerdotibus suis incurfabatur Syr-
mienfis Ecclesia, falsum hoc & sacrilegum in Ecclesiasticis Codi-
cibus deprehensum est. Et fortasse hoc etiam in Oriente fecistis
& literas quidem potuistis abolere, sed fidem non potuistis auferre.
Plus vos illa litura prodebat, plus vos illa litura damnabat. Neq;
enim vos poteratis oblinire veritatem, sed illa litura de libro vite
nomina vestra radebat, &c. Tenetur igitur vestra confessio, quâ
delestis oraculum, dum formidatis exemplum. Delestis quidem in
pectoribus animisq; vestris, ceterum divinum non deletur oracu-
lum, non deletur Spiritus sanctus. Ex his Ambrosii verbis mani-
festè intelligitur, Arianos non solum hujus mutilationis ab
Ortho-



Orthodoxis fuisse accusatos, sed etiam convictos & in fraude deprehensos, cui ergo non fit verisimile in hoc clarissimo Johannis dicto ipsos idem fuisse auctores? præsertim cum apud Socratem lib. 7. Hist. Eccles. cap. 32. & in Tripartit. libr. 12. c. 4. expressè habeatur, *παλαῖς ἑρμηνεῖς* veteres Interpretes significasse, quod sint quidam, qui Epistolam illam Johannis primam depravaverint (*ῥαδιεργήσαντες τὴν ἐπιστολὴν*) quò in Christo hominem à Deo separarent. Et sanè temporibus illis, quibus Imperatores Constantius, Valens, &c. fuere Ariani & Cathedrales ac præcipuas Ecclesias commiserunt Episcopis Arianâ labe infectis, facile illud effectum dare potuerunt. Sic enim Hier. in Psalm. 133. *Ecclesia non in parietibus consistit, sed in dogmatum veritate. Ecclesia ibi est, ubi fides vera est. Ceterum ante annos quindecim aut viginti parietes omnes Ecclesiarum hæretici (Ariani) possidebant, Ecclesia autem vera illic erat, ubi fides vera erat, &c.* Athanas. in Epist. ad solit. vitam agentes. *Quæ nunc Ecclesia liberè Christum adorat? siquidem ea si pia est, periculo subjacet. Nam si alicubi sunt pii & Christi Studiosi, sunt autem ubiq; tales permulti, illi itidem, ut magnus ille Propheta Elias, absconduntur & in speluncas & cavernas terræ sese abstrudunt, aut in solitudine oberrantes commorantur.* In illa Orthodoxorum Episcoporum oppressione, Arianorum verò in sedes Episcopales evectione, quid non tentasse hæreticam audaciam existimabimus.

45. Atq; hæc sunt nostræ sententiæ fundamenta, qui- *Arg. Pho-*
 bus demonstrari posse statuimus, verba illa de *tribus in cælo te-*
stinianorū
stibus non esse supposititia & adjectitia, sed genuinam Scriptu- *contra Ca-*
 ræ Canonice partem, ubi tamen denuò repetimus, hæc funda- *nonicam*
 menta nostræ sententiæ non esse divellenda sed conjungenda, *hujus dicti*
 perinde ut in argumentis, quibus Canonica alicujus libri au- *authorita-*
 toritas probatur, id ipsum fieri consuevit. Restat, ut videamus *tem.*
 argumenta eorum, quibus hic versiculus supposititius videtur.

1. Primum ducunt *ab exemplarium variatione.* Socin. advers. 1. *ab ex-*
 Bellarm. & Wiekum cap. 5. class. 3. arg. II. *Certum est emenda-*
emplariū
toria Græca exemplaria & antiquiora Latina verba illa non ha-
variatio-
bere. Syriaca verò prorsus non habent. Idem in comment. *ne.*

1. Joh. 5. p. 416. *Verba illa esse adulterina & ab hominibus, qui*
stium

*suum dogma de trino & uno Deo quacunq; ratione defendere ac propagare voluerunt, in hunc locum insarcta, facile intelligi potest ex eo, quod mira & supra modum multiplex est varietas in exemplaribus tam Græcis quam Latinis in toto hoc loco. In animadv. ad assert. 17. Posnan. num. 5. pag. 69. responsurus ad argumentum ex hoc loco deductum. Præclarum verò (inquit) testimonium, quod non solum planè controversum est, sed ab antiquioribus etiam cum Latinis tum Græcis Codicibus abest, quodq; Syriacus Interpres nullo modo agnoscit. Idem urget Erasmus in annot. h. l. p. 769. ad quem etiam Socinus provocat. Cum constet, inquit, & apud Græcos & apud Latinos olim variasse lectionem, nihil hoc telum adversus Arianos valebit. Et postea. Exemplar, quod Hispani in Complutensi editione secuti sunt, dissonat ab exemplari Britannico, quod hæc adduntur articuli, ὁ πατὴρ, ὁ λόγος, τὸ πνεῦμα, qui non addebantur in Britannico. Deinde, quod Britannicum habebat ἅτοι ὁι θεῖς, Hispaniense tantum, καὶ ὁι θεῖς, quod idem fit in spiritu, aqua & sanguine. Præterea, quod Britannicum habebat ἐν εἰσι, Hispaniense, εἰς τὸ ἐν εἰσι. Postremò, quod Britannicum etiam in terra testimonio adjiciebat, καὶ ὁι θεῖς εἰς τὸ ἐν εἰσι, quod non addebatur hîc duntaxat in editione Hispaniensi. Resp. 1. Codices hîc variare non negamus, id verò hujus dicti auctoritatem non potest penitùs evertere, aliàs ubicunq; lectionis & Codicum occurreret varietas, ibi periclitaretur Canonica alicujus dicti auctoritas. Recurrendum igitur ad antiquissimos & probatissimos Codices ac adhibenda ea, de quibus diximus, media. 2. emendatiores & antiquiores Codd. hæc verba apud Johan. habere, ostēdimus superiùs, illorū igitur lectio præferenda reliquis Codicibus. 3. Syriaca versio superiore demùm seculo Europæ innotuit, quam à Marco quidem conscriptam & Ecclesiis Syriæ atq; Ægypti traditam quidam suspicantur, sed nulla ejus fit mentio apud Clementem, Alexandrinum, Origenem, Eusebium, Athanasium, Theophilum, Epiphanium, Hieronymum, Cyrillum, Theodoretum, Damascenum, aliosq; Patres, qui vel in Syria aut Ægypto Episcopi vel Presbyteri fuerunt, & vel de variis Scriptura-
rum*

rum editionibus accuratè disputarunt, vel multa de Scripturis sacris posteritati reliquerunt, ergò ejus autoritas non est tanta, ut cum Græca editione comparari possit. Bellarm. lib. 2. de verb. Dei cap. 4. defunt & alia in Syriaca versione, quæ supposititia & ab hæreticis conficta, adeoq; à Canone removenda esse nemo facilè dixerit, ac ne ipsi quidem Photiniani dicunt. 4. Lætionis varietas in Codice Britannico & Hispaniensi nihil derogat ipsi rei, in utroq; enim illud de tribus in cælo testibus habetur, quamvis in articulis & in quibusdam voculis, quædam diversitas animadvertatur, quæ cum in aliis etiam Canonice Scripturæ locis occurrat, non potest hujus versiculi autoritatem penitè destrueret. 5. Deniq; si adversarii certò & indubitato statuerent, locum illum de tribus in cælo testibus esse supposititium & adjectitium, simpliciter eum repudiarent, ac responsione indignum judicarent. Jam verò constat, quod de eo torquendo & argumentis, quæ pro nostræ sententiæ confirmatione ex eo petuntur, utcunq; diluendis magno perè sint solliciti, ut ex Socino, Goslavo, Enidino, Schmaltzio, &c. notum. Ergò tacitè quadammodo concedunt, verba illa à Johanne esse scripta, eademq; in antiquis & probatis exemplaribus haberi.

46. 2. *Ex prætermissa veterum citatione.* Socin. in com. 2. ex præ-
1. Johan. 5. p. 416. *Verba illa esse adulterina, intelligi potest ex te-
stimoniis antiquorum Theologorum, tam Græcorum, quam Lati-
norum, qui maxima ex parte hunc locum vel citantes vel expli-
tatione.
cantes nullam faciunt mentionem triplicis testimonii Patris, Ver-
bi & Spiritus S. in cælo testantium, & fortasse ante Hieronymum
vix ullus invenietur, qui testimonium illud hoc in loco planè agno-
verit. Blandrata in disp. Alban. act. 2. diei. Nemo est, qui non
videat hunc locum esse suspectum, cum à plurimis Doctoribus &
Interpretibus ferè omnibus prætermissus sit. Erasmus in annotat.
p. 768. Cyrillus cum lib. 14. thesauri cap. 5. sub fin. dimicet ad-
versus Arianos, plurimaq; in illos congerat è divinis libris testimo-
nia, probabile non est illum omissurum fuisse telum, quò maximè
confici poterant illi, si aut scisset, aut credidisset, hoc fuisse scriptum
ab Apostolo. Beda locum hunc diligenter enarrans cum accuratè
multisq; verbis exponat testimonium triplex in terra, nullam*

I facit



facit mentionem testimonii in cœlo Patris, Verbi & Spiritus, &c.
Secutus hic est Augustinum, qui in libris adversus Maximinum
Arianum, cum nullum non moveat lapidē, ut ex Canonica Scriptu-
ra probet Spiritum sanctum esse Deum, omnesq; personas esse
ὁμοούσιους, sed tamen testimonium non adducit, cum locum hunc
aliās semel adducat. Resp. 1. cur provocant hac in re ad Patrum
suffragia, de quibus aliās parū honorificè sentiunt? Certò
constat, scribit Schmalzcius contra I. Disp. D. Frantz. p. 2. Po-
tissimam Patrum partem Antichristiano quodam Spiritu fuisse
multis in rebus actam. 2. unus testis loquens pluris faciendus
quàm mille muti. Sufficit nobis, à quibusdam hunc locum
adduci, tanquam Canonicae Scripturae partem. 3. Quod qui-
dam hunc locum vel citantes vel explicantes nullam mentio-
nem faciunt testium in cœlo, ex eo non nisi probabiliter duntaxat
infertur, eos in Codicibus Græcis vel Latinis, quibus usi
sunt, hunc locum non habuisse: sed nullā veritatis specie ex eo
colligi potest, quod sit suppositivus, quia in illorum Codicibus
defuit, vel librariorum negligentia ommissus, vel Arianorum
malitia erasus. 4. Non omnia Scripturae dicta ad probatio-
nem quaestionis spectantia cuiuslibet quovis tempore occurrunt,
neq; tamen ex præteritione illa colligi potest, q̄ reliqua tanquam
suppositiva ab ipso repudientur. 5. In allegandis Scripturae
textibus quandoq; intermedia tūm prisca tūm recentiores Scri-
ptores omittunt, maximè si ea ad institutum non arbitrentur
esse necessaria. 6. Similis planè locus Joh. 10. v. 30. extat, qui à
veteribus ad convincendam Arianorum hæresin urgetur.
Quia verò animadvertēbant unam & eandem ad utrumq; esse
hæreticorum exceptionem, quod scilicet de consensu, non de
essentia unitate, utrobique fermo sit, ideò unius duntaxat alle-
gatione quandoq; contenti fuere. 7. Quidam Interpretes
non solum tres in cœlo testes, sed etiam testes in terra præter-
mittunt, ut apparet ex Didymo Alexandrino in enarratione
hujus Epistolæ, quæ extat tom. 9. Bibliothecæ Patrum p. 547.
Quidam explicationem Epistolæ non perduxerunt ad eum
usq; locum, ut patet ex Augustini commentario in hanc Epi-
stolam, qui extat tom. 9. operum.

47. 3. *Ex contextus serie. 1. Apostolus v. 6. trium fecerat men. 3. Ex con-*
tionem, aquæ, sanguinis & Spiritus, eorum igitur officium versu textus se-
immediatè sequente explicat, quando tres esse in terra testes sub-rie & con-
jungit, proinde vers. 7. de tribus in cælo testibus est omittendus. nexione.

Resp. imò verò quòd in genere & implicitè de sex testibus v. 6.
Apostolus dixerat, id postmodùm in specie & explicitè decla-
rat tres in cælo, tres in terra testes constituens. Nec præter-
mittendum erat illud summum & principale fidei nostræ fun-
damentum, immediatum scilic. Dei de Christo testimonium.
2. *Tractatio de Trinitate hoc loco est supervacanea.* Resp. imò v.
Sacrosanctæ Trinitatis mentio hujus loci scopo & contextui
optimè congruit. Cum enim Apostolo propositum fuerit irre-
fragabiles testes producere, qui Christum verum Deum & ho-
minem ac Salvatorem nostrum esse testentur ac immotum fi-
dei nostræ fundamentum constituant, utiq; non potuit com-
modè prætermitti summum illud & prorsus irrefragabile te-
stimonium, quod singulæ Trinitatis personæ ad fidei nostræ
confirmationem protulere. Quemadmodum enim Christus
cum testimonio Johannis Baptistæ (quod verè quidem erat di-
vinum, quia Johannes à Deo ad testificandum erat missus, me-
diatum tamen) conjungit immediatum Patris cælestis testi-
monium Joh. 5. v. 37. *ego testimonium habeo majus Johanne,*
qui misit me Pater, inquit, ipse testimonium perhibuit de me: Sic
Johannes hoc loco cum testimonio Spiritus, aquæ, & sangui-
nis, quod per verbi & Sacramentorum ministerium Christo
datur, immediatè divinum testimonium, quod tota Sacrosan-
cta Trinitas perhibuit, optimâ omninò ratione conjungit.
3. *Spiritus sanctus non satis commodè utriq; testium ordini adjun-*
gitur. Resp. diximus superiùs vers. 7. per *Spiritum* intelligi
tertiam Deitatis personam, sed vers. 8. per Spiritum intelligi
animam sive Spiritum, quem Christus in cruce emisit, quâ hy-
pothesi stante nullus Photinianæ objectioni remanet locus,
Quod si vel maximè utrobq; vers. scil. 7. & 8. nomine Spiri-
tus intelligatur tertia Deitatis persona, nihil tamen absurdi
ex eo inferri posset, quod testibus in cælo & in terra conjun-
gatur. Testibus enim in cælo conjungitur, quia non minùs,
quàm Pater & Filius est persona Trinitatis, cujus æterno con-

filio & decreto Filius in mundo Messias nasci voluit, & quia in Baptismo Christi corporali specie columbæ, non minùs quàm Pater externa voce, sese manifestavit, ac super Christum descendens immediatum de eo testimonium perhibuit. Testibus in terra conjungitur, quia est persona illa, quæ juxta promissum Salvatoris missa est ad instituendum in terris ministerium, ad quod donis suis instruxit & illuminavit Apostolos visibiliter super eos illapsus, & postea per prædicationem illorum de Christo testificatus est, atq; etiamnum de eo per verbi & Sacramentorum ministerium testificatur, idq; in cordibus credentium obsignat, ut D. Hunn. in comm. h. l. admonet. Breviter, Spiritus S. testificatus est de Christo immediatè, tum in Baptismo descendens super ipsū in specie columbæ, tum in transfiguratione apparens in lucida nube, quo respectu priori testium classi adjungitur. Idem Spiritus S. adhuc hodiè per verbi & Sacramentorum ministerium de Christo testificatur exterius, & hoc suum testimonium in cordibus piorum obsignat interius, quo respectu posteriori testium classi additur. Valdè igitur probamusea, quæ fulgor veritatis Calvino hïc expressit. *Cum Spiritus variè de Christo testetur (inquit) aptè duplex illi attribuitur testandi locus. Nam è caelis Pater cum aeterna sua sapientia & Spiritu tanquam pro imperio pronunciat Jesum esse Christum, ergò illic sola divinitatis majestas nobis consideranda est. Quoniam verò Spiritus in cordibus nostris habitans arrha, pignus & sigillum est ad obsignandum illud decretum, hoc modo iterum in terra per gratiam suam loquitur.*

4. ex dicti
hujus ad
fidei ana-
logiã col-
latione.

48. 4. *Ex dicti hujus ad fidei analogiam collatione. .i. In caelo non est opus testibus, ubi omnia clarè cernuntur, præposterè igitur tres in caelo testes constituuntur. Resp. i. Lyranus existimat in caelo etiam huic testimonio haud absurdè locum dari. Beata Trinitas (inquit) ipsa se manifestat beatìs per apertam visionem, quantum ad personarum distinctionem & verbi emanationem à Patre & Spiritus S. ab utroq; & hoc est, quod dicitur, quoniam tres sunt, qui testificantur in caelo, Pater, Verbum & Spiritus sanctus, veritatem scil. manifestando, nam testimonium dare, est veritatem manifestare. Sed Apostolus hïc loquitur de tali*

tali testimonio, per quod fides piorum in hac vita confirmatur, unde Salmeron Lyrani interpretationi aliam conjungit. *Trinitas* (inquit) *dat testimonium in caelo vel efficiendo visionem in beatis de eo, quod Christus sit Deus & homo, vel infundendo hominibus, qui adhuc viatores sunt, fidem qua Dei donum.* 2. Quidam monent verba sic ordinanda esse. *Tres sunt in caelo, qui testimonium dant de Christo*, ut tres illi testes non in caelo seu apud beatos testari intelligantur, sed testes caelestes dicantur, etiamsi in terra de Christo fuerint testificati & adhuc testificentur. 3. Quidam respondent per caelum hic non accipiendum esse illud $\tau\epsilon\sigma$, in quo Sacrosancta Trinitas Angelis & beatis hominibus sese manifestat, sed caeleste regnum, quod non loco, sed Dei majestate & transcœlesti gloria definitur, hoc est, non de regno gloriæ, sed de regno gratiæ Apostolum loqui, quando tres in caelo testificari asserit. 4. Quidam phrasin $\epsilon\upsilon\tau\omega\ \delta\epsilon\theta\epsilon\omega\ \pi\alpha\tau\epsilon\rho\varsigma$ positam statuunt pro $\alpha\pi\ \delta\epsilon\theta\epsilon\omega\ \varsigma$, quia Pater de Christo testificatus est per $\Phi\omega\nu\eta\nu\ \epsilon\kappa\ \tau\omega\nu\ \delta\epsilon\theta\epsilon\omega\nu$ Matth. 3. v. 17. Marc. 1. v. 11. $\epsilon\zeta\ \delta\epsilon\theta\epsilon\omega\ \varsigma$ Luc. 3. v. 22. ac Spiritus sanctus è caelis super Christum apertis descendens de eo testificatus est. 5. Amplectimur autem simplicissimam illam expositionem, quod tres hi testes dicantur *in caelo*, quia sunt caelestes ac divini testes, unde postea ipsorum testimonium vocatur *Dei testimonium*, vers. 9. Si enim Apostolo propositum fuisset enumerare testes, qui quovis modo in caelo Christo testimonium perhibent, non omisisset Angelos, qui non semel etiam de ipso testificati sunt, nec prætermisisset Moysen & Eliam, qui in transfiguratione Christo testimonium perhibuerunt Matth. 17. v. 3. loquitur ergo de testibus Naturâ & essentiâ divinis, quales nulli dantur, nisi tres personæ sacrosanctæ & individuae Trinitatis: si enim loqueretur de talibus testibus, qui divinitus vim testificandi haberent, non potuisset tres priores in caelo testes distinguere à tribus posterioribus in terra testib. cum ipsi quoq; eo modo sint divini, id est, in testium classem divinitus constituti.

49. 2. Christus inquit Johan. 5. v. 31. *Si ego de meipso testimonium perhibeo, testimonium meum non est verum. Ergo in-*

testium classe non debet poni Λβγδ. Resp. i. Urgemus alia Scri-
ptura dicta, quæ omnium consensu sunt Canonice Scripturæ
partes, in quibus Christus de seipso testificari dicitur. Locus
clarissimus extat Joh. 8. v. 14. *Etsi ego testimonium perhibeo de
meipso verum est testimonium meum, quia scio, unde veni & quò
vado.* 2. Christus est ipsa veritas Johan. 14. v. 6. est ὁ ἀληθὺς ὁσ ἰησοῦς
verus Dei Filius 1. Johan. 5. v. 20. utiq; ergò idoneus de seipso
testis. 3. Verba igitur illa, *si de meipso testimonium perhibeo, testi-
monium meum non est verum*, non sunt eo sensu accipienda,
quasi Christus absolutè & simpliciter sui ipsius testimonium
excludere voluerit, eâ enim ratione apertissimè pugnarent,
cum dicto Joh. 8. v. 14. sed loquitur Christus juxta opinionem
eorum cum quibus ipsi res erat. Si testimonium
de meipso perhibeo, testimonium meum non est verum scilicet
vestro iudicio, vobis non est verum nec validum, quia scilicet
existimatis me proprio ausu & arbitrio citra Patris cœlestis
suffragium illud proferre. Proinde cum Judæi ipsi objicerent,
Joh. 8. v. 13. *Tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum
non est verum* vers. 14. Christus ipsis respondet. *Etsi ego testimo-
nium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum, quia scio
unde veni & quò vado* v. 16. *solus non sum, sed ego & qui misit me
Pater.* v. 17. *in lege vestra scriptum, quia duorum hominum testi-
monium est verum,* v. 18. *Ego sum, qui testimonium perhibeo de
meipso, & testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater,* ubi
clarissimè conspicitur, quod Christus non excludat proprium
de seipso testimonium, sed Patris testimonium tanquam ex-
actissimè cum eo consentiens illi jungat, ac utroque simul
probet se esse verum Messiam. Cyprian. libr. 4. Epist. 9. ad
Florentium p. 136. *Dominus ipse, qui omnia postmodum iudicatu-
rus est, noluit de testimonio sui sibi credi, sed maluit de iudicio ac
testimonio Dei Patris probari.* Euthymius in cap. 5. Joh. *Quia
taliter de seipso testificatus fuerat, cognovit Judæos in animo habere
opponere se ei ac dicere. Si tu testimonium perhibes de teipso, testi-
monium tuum non est verum. Nemo siquidem qui de seipso fert
testimonium, fide dignus est apud homines, propter suspicionem
de nimio sui ipsius amore, ideò prævenit ac dixit, quod illi dicturi
erant, dicens. Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium
meum*

meum non est verum, ut vobis apparet. Itaq; testes adducit, etiam in hoc se dimittens ad imbecillitatem illorum & ex abundantia cautione silentium illis imponens. Sequitur Euthymius Chryostomum hom. 39. in Joh. & Cyrill. lib. 2. in Joh. c. 147. qui eodem modo interpretantur.

50. 5. Ex phraseos Apostolicæ observatione. Johannes in 5. ex phrase principio Evangelicæ Historiæ divinitatem Christi demonstraturus seos observatum ipsum vocat λόγος, sed postquam cap. 1. v. 14. de incarnatione Filii dixerat, ὁ λόγος σαρκὸς ἐγένετο in sequentibus capitibus non amplius eum sic vocat, sed Jesum Christum. Ergo verisimile non est hoc loco eandem appellationem Filio Dei incarnato tribui. Socin. in com. 1. Joh. 5. p. 421. Quod Filius Dei seu Jesus Christus neutro ex his nominibus, sed Verbum appellatur, mihi videtur esse indicium aliquod istorum verborum additiorum. Resp. 1. validissimæ instantiæ loco urgemus dictum Ap. 19. v. 13. ubi describitur λόγος ἐν σαρκὶ. mentio enim fit oculorum, capitis, vestis sanguine aspersæ & tamen additur, quod nomen ejus vocetur ὁ λόγος ἔστι. 2. propositum est Apostolo enumerare testes Naturæ & essentiæ divinos, ideò etiam utitur tali appellatione, quæ à Natura divina desumpta est, juxta quam Christus Patri & Spiritui sancto est ὁμοούσιος. 3. Sicut Filius Dei est eadem persona post factam incarnationem & ante incarnationem, ita quoq; personæ respectu est idem λόγος ἐν σαρκὶ, qui fuit ἁπλοῦς: ecquis igitur Apostolum propterea in jus vocabit, quod Filium Dei etiam post factam incarnationem appellat λόγος, puta ἐν σαρκὶ? Certè Christus ipse Johan. 8. v. 38. de se post incarnationem pronunciat. Antequam Abraham erat, ego sum, non quod secundum humanam Naturam fuit antè Abrahamum, sed quia est & manet eadem persona, idem λόγος idem Dei Filius, qui nondum suscepta carne antè Abrahamum, imò antè omnia secula existit. Atq; hæc dicta sint de Canonica dicti nostri autoritate.

Ad

AD PRÆST. DN. RESPONDENTEM.

Qui summæ Triadis meritos, qui Patris honores
Et Nati Flatusq; sacri pius asserit ultor,
Et gentem, Phorine, tuam, quæ plurima curtos
Per Mahometigenum populos, gelidæq; nivosos,
Sarmatie campos dispersa furenter in ipsum
Arma movet cælum vecors, Christumq; paterno
Deturbare cupit solio, teretiq; sarisâ,
Et gladio dii, teloq; tricuspide verbi,
Eminus aggreditur simul, & simul urget & instat
Cominus, & cæsim, punctimq; feritq; rapitq;
Tundit, agit, sternit, multoq; cruore madentem
Spargit humum, turbæq; struit morientis acervos,
Rem facit, hoc nostro quâ nulla salubrior aeo,
Et melius victor Christi dgeente meretur,
Quam Saracenorum qui millia plurima ferro
Demetit, & pulsos ultra fugat æquora Ponti
Qui rapidis Sestum furit inter, & inter Abydum
Fluctibus, inq; gemens plangentia littora pulsat,
Hoc facis Ô TANCKI, magni septemplice tectus
GERRHARDI clypeo, fatuosq; redarguis hostes,
Et mediâ tandem stratos extendis arenâ.
Quæ quondam Trias alma tibi, quæ præmia reddet?
Præsentisq; dabit vita, pendetq; futura
Munera, quæ tenui non est comprehendere versu.
Pacatæ mentis salientia gaudia, veri
Perpetuamq; sitim, vinciq; potentia nunquam
Pectora, delatos, qui spontè sequentur, honores.
Deniq; justiciæ Paulloq; tibiq; repostam
GERRHARDOq; tuo (serò tamen opto) corollam.

Wolfg. Heiderus M. Philos.
Practicæ Prof. P.

F I N I S.




153792

X2617302

R

10/17



A
5





D. O. M. A.
DISPUTATIONIS THEOLOGICÆ
Ex dicto Apostolico
1. Joh. 5. v. 7.
Tres sunt, qui testimonium
dant in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus sanctus,
& hi tres unum sunt:

JOHANNE GERHARDO
S. THEOLOGICÆ D. ET P.

in Academia Jenensi,

Publicè instituta

PARS PRIOR

CANONICAM DICTI AUTORITATEM
ASSERENS,

In qua Respondentis partes tuebitur

DAVID TANCKEN Wisuariensis
Megapolitanus.

*Qui sub finem Disputationis X. Aprilis instituendæ Orationem
valedictoriam Hebræo-Latinam scopo ejusdem
accommodatam habebit.*

J E N Æ

Typis TOBIÆ STEINMANNI.

Anno M. DC. XIX.